

UNIVERSITÀ  
DOCUMENTI GORIZIANI  
DEL SECOLO XIV  
raccolti da  
VINCENZO JOPPI

(Continuazione.)

CCXIII.

1351. 15 Marzo. Luonz.

Il nob. Giovanni detto Pagano di Savorgnano per essere liberato dalla prigione cede ai Conti Mainardo ed Enrico di Gorizia, la sua parte del Castello di Savorgnano e beni annessi. (Vedi N. CCXI)

In Christi nomine amen. Anno Domini MCCCLI, ind. IV, die XV Martii, actum in Luongh sub Castro in viridario infrascriptorum D. D. Comitum, presentibus nobili viro D. Simone de Castellerio, nec non Venerabilibus viris D. D. Johanne Canonico Eccl. S. Candidi in Irtica Brixianensis Diocesis, Henrico Canonico eiusdem Ecclesie et Osvaldo eiusdem Ecclesie Canonico scribis D. D. Comitum infrascriptorum, Johanne q. Zenobii de Florentia et Nicolao q. Conradi de Florentia Monetariis de Luongh, testibus et aliis ad hoc vocatis et rogatis.

Nobilis Vir Joannes dictus Paganus filius quondam Nob. Militis D. Hectoris de Savorgnano pretendens fidelitatem Nob. Militis D. Federici de Velchlemar qui pro liberatione sua attentius laboravit, non vi, non dolo sed pure et libere sibi D. Federico omne ius et actionem quod vel qua habet et habere deberet vel videbatur habuisse vel habere in Castro Savorgnani in possessione sua et suis bonis ac rebus, pertinentiis et pratis et braydis, sylvis, hortis, molendinis, aquis et aquarum cursibus, montibus, pascuis, venationibus et aucupationibus et

singulis iuribus et pertinentiis spectantibus et pertinentibus ad partem a quondam Patre suo sibi dimissam in dicto Castro Savorgnani, dedit, tradidit atque donavit eidem D. Federico stipulanti et recipienti vice et nomine Magnificorum D. D. Mainardi et Henrici fratrum Comitum Goritiae et Tirolis et eorum heredum aut cui eorum ius dare voluerint et hanc donationem fecit et hec donavit pro eo quod a carceribus dictorum D. D. Comitum relaxaretur, promittens et iurans habere, tenere, attendere et observare et numquam contrafacere vel venire et postea ratificare per se vel alios et manutenere, varentare, autorizare ac in solidum disbrigare in iure. Insuper promisit dictus Joannes pro se et suis heredibus dicto D. Federico recipienti nomine quo supra quandocumque fuerit requisitus refutare in manus Dominorum feudi si feuda reperirentur, sub pena centum marcharum denariorum Aquileiense monete, qua pena soluta vel non presens Instrumentum in omnibus obtineat firmitatem, constituens se precario nomine dictorum DD. Comitum possidere donec in tenutam intraverint et possessionem acceperint corporalem, quam auctoritatem et potestatem dictus Joannes eisdem DD. Comitibus vel alteri eorum licentiam dedit et contulit et nuntius tenute datus fuit D. Simon testis predictus per dictum Joannem eisdem DD. Comitibus, qui eos vel alterum ipsorum ponat ed inducat in tenutam et corporalem possessionem.<sup>1)</sup>

Marco di Cividale not. Arch. Savorgnano in Pozzuolo. Vol. I Invest.

#### CCXIV.

1351. (*Primi giorni di Maggio*).

Pace tra i Conti di Gorizia e Nicolò patriarca d'Aquileja. (Minuta.)

Nos Meihnardus comes Goricie ac Tirolis ecclesiarum Aquilegiensis, Tridentine et Brixinensis advocatus pro nobis

---

<sup>1)</sup> 1356 10 Marzo. . . . Il Conte Mainardo di Gorizia fa fine remissione del luogo di Savorgnano a lui cesso da Pagano Savorgnano carcerato in Gorizia.

et dilecto fratre nostro comite Heinrico presencium tenore fatemur et ad universorum noticiam aperte deducimus quod sopita questione inter reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Nicolaum sancte sedis Aquilegiensis patriarcham ex una et nos et dilectum fratrem nostrum comitem Heinricum predictum parte ex altera super omnibus et singulis causis accionibus iuribus litibus controversiis difficultatibus specialiter autem super occupacionibus terrarum, castrorum, locorum, villarum et hominum aut rerum sive bonorum quorumlibet, quam quidem questionem dominus patriarcha nomine suo et dicte Aquilegiensis Ecclesie occasione predecessoris sui condam domini patriarche Bertrandi contra nos, fautores et servitores nostros quoscunque vel nos contra ipsum et dictam Ecclesiam suam longis retroactis temporibus habuisse videmur ad invicem per magnificum principem dominum nostrum dominum Albertum ducem Austrie etc per modum et in vi arbitramenti sive amicabilem compositionis dumtaxat de voluntate partium utrarumque iuxta diffinicionem laudum arbitramentum et dictum ipsius domini Ducis hiis casibus et sicut hec protulit ordinavit et voluit observari universa et singula infrascripta bona fide et absque ulla fraude attendere et observare promittimus.

Inprimis quod terras, castra, loca, villas et castaldias per nos occupatas a tempore mote litis per predecessorem suum dominum Bertrandum predictum nominatim vero Civitatem Austrie, Antrum cum castaldiis illorum, castrum Trecesimum, castrum Fagana et ipsorum castaldias simul cum Newula, Mossa et Agello illorumque castaldia dicte Ecclesie Aquilegiensis sicut ad illam spectant integraliter restituemus et restitui ordinabimus dilacione qualibet secus mota. Ad hec quoad castrum Rivarot, quoad villam Palaczoli occupatam per Johannem Franciscum de Castello et quoad oppidum Medune quod detinet Beaquinus de Prata nec non quoad castrum Schorfinberch quod Schorffenbergarii possidere dicuntur qui omnes sub prestitis iuramentis nostris serviis inheserunt ipsos et alios quoslibet iuramento consimili obligatos ab huiusmodi vinculo et servicio in toto absolvimus et penitus liberamus; preterea omnes captivos quos tenemus sine ulla depecuniacione vel exaccione damus et dimittimus pristinae libertati.

E contra vero prefatus dominus patriarcha nos et heredes nostros dimittere debet atque dimittet liberaliter sicut veros advocatos advocaciam nostram Ecclesie predictae Aquilegiensis cum omnibus suis iuribus et attinentiis ad instar progenitorum nostrorum quorumlibet ab antiquo, plane gaudere promittens nos etiam illam et in illa manutenere ac fovere fideliter nec ullo casu ad via(m) super illis nobis et heredibus nostris impedimentum ponere facere vel inferre.

Item promisit castrum Chodroib funditus demolire nec non in possessionem castaldie ac iurium nostrorum ibidem nos omnino reponere. Castrum vero Swarczenburch et Gwardingosa [*rectius* Gwardazoiosa] si dictus patriarcha per nos informabitur quod eadem infra limites nostre iurisdictionis aut territorii sint constructa, legi predictae demolicionis equaliter subiacebunt.

Item turem nostram sitam in Varm statim restitui efficaciter ordinabit, burgum quoque sive castrum de Argis feudum nostrum debemus in iure ac mediante iusticia vindicare.

Item predictus dominus patriarcha pro recuperatione castri nostri Schonenberch contra illud occupantes nobis prebere tenetur et dabit in quantum ius permittet auxilium cum omni suo posse brachii eciam secularis, si quis extiterit, qualibet sine fraude. Castrum vero in Wippacho inferiori specialiter si a nobis idem dominus patriarcha rehabere voluerit, informacione prehabita, quod post receptionem sive expugnacionem illius predecessor ipsius quemcumque alium occupantem vel tenentem de illo quomodolibet infeodarit, ut sic precium quod dedimus pro empcione illius tenebitur infra annum proximum refundere nosque sibi obligabimur castrum idem restituere integraliter et ex toto.

Ceterum castra dirupta per condam Dominum Bertrandum patriarcham immediatum guerra durante videlicet Castelpagan, Cusan et Cassenberch rehedificari poterint contradictione dicti domini Nicolai patriarche vel successorum suorum qualibet non obstante. Insuper idem dominus patriarcha omnes et singulas sentencias a predecessore predicto condam domino Bertrando latas sive prolatas spiritualiter, criminaliter vel civiliter contra quoscumque nobis faventes vel quibuslibet serviciis adherentes

prosequi vel exequi quoquomodo non debet nec illis aut quibuscumque processibus obinde secutis factis vel habitis uti non poterit neque in foro spirituali neque civili publice vel occulte sed pro non latis immo sopitis ac mortuis et in nullo casu preiudicialibus ubilibet et perpetualiter habebuntur. Sententias vero interdicti et suspensionis quaslibet relaxabit, excommunicatis absolucionis beneficium sine difficultate impendet vel impendi faciet iuxta formam ecclesie debitam et consuetam omnesque tales sibi que reconciliatos ad plenum in sui favoris gratiam recolliget et assumet sic quod aliqua fore facta hucusque eisdem minime imputentur. Ac quod etiam unusquisque illorum et aliorum servitorum nostrorum de iuribus suis gaudere possit et debeat nec non per ipsum dominum patriarcham in illis manuteneatur deffendatur foveatur et plenarie conservetur. Postremo ipse dominus patriarcha cunctis coram se litigantibus qui propter assignatum vel assignandum locum minus tutum in exercendo iudicio vel prosecutione causarum suarum exceptionem metus rerum vel corporum allegarent sive proponerent, locum securum hoc casu tenebitur legitime deputare. Salvis ad ultimum omnibus iuribus rationibus et munitis nostris que vel quas super dominio vallis Cadubrii et civitatis Wenczone ac eius pertinenciis habere dinoscimur et habemus. In cuius rei testimonium etc.

Minuta originale in carta dell'Arch. di Stato in Vienna. Repert. XXIV.

## CCXV.

*1351. 18 Maggio. Gemona.*

Il Duca d'Austria conchiusa la pace col Patriarca d'Aquil. e col Conte di Gorizia, scioglie il Comune di Gemona dall'obbligo di fedeltà e restituisce la Terra al Patriarca.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis eiusdem M·CCC·LI· indictione quarta die XVIII· mensis maii. Presentibus Reverendo in Christo Patre D. Fratre Johanne Dei gratia Episcopo Emonensi ac venerabilibus viris D. D. Fratre Alberto Abbate monasterii s. Prosperi de Regio, Guidone Johanne de

Regio Canonico utinensi vicario in spiritualibus D. Patriarche infrascripti, Johanne de Carate Plebano Glemone, presbitero Nicolao de Glemona Plebano Forgarie ac nobilibus viris D.D. Petro de Luca vicario in temporalibus dicti D. Patriarche, Conrado Boiano de Civitate Austria, Hendrico de Strassoldo Guilhelmo de Picocciis Potestate Aquilegie, Nicoluccio de Peroto Potestate Marani testibus et aliis.

Convocatis et congregatis in hospitio habitationis infrascripti Bartholomei Consilio Terre Glemone videlicet Artico Mirissono, Bartholomeo q.<sup>m</sup> Ser Hermani Zambonini, Nichulo Sibelliti, Jacobo q.<sup>m</sup> Pellegrini de Glemona et alia dicti Consilii et Terre Glemone civium multitudine copiosa. Coram testibus supradictis et coram egregio milite D. Hainrico Raspone Ambaxatore et Nuncio ad infrascripta, ut asserebat specialiter constituto et transmisso per illustrem Principem D. Albertum Dei gratia Ducem Austrie, Istrie, Karinthie, dictus D. Hainricus Raspo dictos Consilium et homines dicte Terre Glemone ex parte prefati Domini Ducis salutavit, ac ipsis regratiatus est, de eo quod bene et fideliter fidem et promissionem ipsi D. Duci per ipsos datam et factam, ac constanter, et tanquam boni homines servaverint; et eis significans qualiter bona et plena et amicabile concordia facta est et firmata inter predictos D. Patriarcham ac. D. Ducem <sup>1)</sup> et Comitem Goritie auctoritate et commissione sibi concessa et facta per dictum D. Ducem prefatos Consilium, Commune et homines ac universitatem Terre Glemone ab omni juramento et promissione ac obedientie vinculo per eos ipsi Domino Duci prestitis et factis absolvit et totaliter liberavit et absolutos et liberatos dimisit. Requiring et rogans ipsos ex parte dicti D. Ducis diligenter et attente quod prefato D. Patriarche de cetero debeant tanquam eorum vero Domino fideliter obedire, ac offerens eis quod et hoc fecerint dictus Dominus Dux vult et intendit semper propterea eorum beneplacitis complacere. Quibus etiam dixit quod si litteras quas habent a prefato D. Duce restituerent ei die

---

<sup>1)</sup> Il patriarca d'Aquileia il giorno 30 aprile 1351 convenne in Budweis di una tregua per 12 anni tra esso ed Alberto II Duca d'Austria, edita dal prof. Zahn: *Austro Friulana*. Wien 1877 pag. 76.

crastina, ipse similiter eis restitueret litteras quas idem D. Dux habebat ab eis.

Actum Glemone in hospitio habitationis Bartholomei prefati.

Not. Gubertino da Novate Arch. Not. Udine. Orig.

CCXVI.

*1351. 28 Maggio. Udine.*

Il patriarca d'Aquileia ordina ai nobili di Varmo la restituzione di una torre del castello di Varmo al conte di Gorizia e di assegnare a Rizzardo di Varmo la sua parte di detto castello.

Nicolaus Dei gratia Patriarcha Aquilegensis nobilibus de Varmo. Responsionem per vos factam ad ea que pro parte nostra vobis dixit fidelis noster Hendricus de Strassoldo intelleximus. Sed quia responsio huiusmodi nullam sapit efficaciam circa predicta, iterato vobis districte precipimus et mandamus quatenus statim vos efficaciter disponatis ad assignationem fiendam Comiti Goritie seu eius nuntio, de Turri quam habet in castro Varmi, nec non ad assignationem fiendam Rizzardo de Varmo de parte quam habet in castro ipso. Alioquin super hoc providebimus de remedio oportuno, potissime cum informati simus fidedignorum relationibus quod in dicta Turri ius aliquod non habetis.

Datum Utini in nostro patriarchali palatio die XXVIII Maii (MCCCLI).

Not. Gubertino da Novate. Arch. notar. Udine. Orig.

CCXVII.

*1351. 2 Giugno. Gorizia.*

Enrico conte di Gorizia promette mantenere l'ipoteca sul castello di Belgrado e sulla Gastaldia di Flambro data da suo fratello Mainardo a Castrone de Bardis.

Nos Henricus comes Goritie et Tirolis, ecclesiarum Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis advocatus universis et singulis presentem paginam inspecturis cupimus fore notum, quod

cum dilectus noster frater comes Meinhardus Goricie et Tirolis Castrum Belgradi et gastaldiam Flambrum cum omnibus iuribus ad dictum castrum et ad dictam gastaldiam spectantibus et pertinentibus pro precio et foro quindecim millium et quingentarum librarum denariorum parvorum veronensium tradidisset et obligasset discreto viro Bertrando condam Aymerici de Opitergio procuratori et procuratorio (nomine) nobilis viri Castroni condam nobilis viri Sinibaldi de Florentia pro eodem Castrono et eius heredibus eorum nomine recipienti prout in procuratorio huiusmodi constat publico instrumento, quem obligationem et traditionem per dilectum fratrem nostrum predictum comitem Meinhardum factam supradicto Castrono et eius heredibus prout etiam in instrumento publico scripto manu Vorlici condam Nicolai de Goricia publici imperiali auctoritate notarii plenius continetur, promittimus ratam et gratam habere et firmam tenere et omnia in hoc instrumento contenta attendere et firmiter observare et contra predicta non facere vel venire de iure vel de facto, dolo ingenio sive causa. In cuius rei testimonium presentes literas fieri iussimus nostri sigilli appensione muniri. Datum Goricie, anno domini millesimo CCCLI, die secundo mensis Junii, quarta indictione.

Da copia nel Cod. 447 fol. 13. Arch. di Stato, Vienna.

## CCXVIII.

*1352. 19 Giugno. Udine.*

Investitura feudale di Alberto e fratelli conti di Gorizia data dal Patr. d' Aquileja.

Anno Dominice Nativitatis MCCCLII die XIX mensis iunii, indictione V. Presentibus venerabilibus in Christo patribus dominis fratribus Petro Dei gratia Concordiensi et Protina Segenensi Episcopis, Alberto S. Prosperi de Regio, Michaele Sextensis, Gallardo Rosacensis Monasteriorum abbatibus, venerabili viro D. Gambino de Cremona Decano Aquilegensi, sapientibus viris dominis Justiniano de Tridento legum doctore, Johanne de Monticulis iurisperito Vicario in temporalibus D. Patriarche infrascripti, Henrico et Alberto scribis de Goritia,



Nobilibus viris Galvano de Maniaco et Odorico figlio D. Gerardi militis de Cucanea testibus et aliis.

Accedens ad presentiam Reverendissimi in Christo patris et domini D. Nicolai Dei gratia S. Sedis Aquilegensis Patriarche Magnificus et potens Dominus D. Albertus Goritie et Tyrolis Comes una cum tredecim banderiis albis et rubeis ad armaturam suam et Comitatus sui, flexis genibus humiliter supplicavit eidem d. Patriarche, ut ipsum pro se ac dominis Meynardo et Henrico eius fratribus Comitibus Goritie et Tyrolis de feudis eorum que habent ab Ecclesia Aquilegensi investire benignius dignaretur. Dictus vero d. Patriarcha eius supplicationibus inclinatus, credens et sperans quod ipsi domini Comites erunt sibi et Ecclesie Aquilegensi fideles atque legales, recepto ab eodem D. Comite Alberto pro se et predictis suis fratribus iurante, fidelitatis debite iuramento quod vassallus Domino suo in talibus prestare consuevit, per se, suosque successores et nomine Aquilegensis Ecclesie ipsum D. Albertum Comitem pro se et predictis ejus fratribus eorumque heredibus recipientem de omnibus eorum feudis antiquis, iustis et legalibus, eo iure quo sui progenitores illa antiquitus habuerunt et tenuerunt ab Ecclesia Aquilegensi supradicta per unam ex predictis banderiis, videlicet majorem presentialiter investivit. Salvo iure Aquilegensis Ecclesie et omnium personarum. Actum Utini in palatio patriarchali.

Not. Gubertino da Novate. Copia nell' Arch. Civ. Udine.

## CCXIX.

*1352. 19 Agosto. Gorizia.*

Esame di testimoni sui tentativi fatti per dare con tradimento il castello di Cormons al patriarca d'Aquileja.

Anno Domini Millesimo tricentesimo quinquagesimo secundo, indictione quinta, presentibus Wolrico Rehuel, Jacomuzo de Vippulsano, Riczendorffer Nichlino de Deremberg, Pienczline Gastaldioni d. Comitibus Goriciensis, Hermano Camerario dicti d. Comitibus, Dominico Fansdorffer servitore d. Simonis Pinchiani, Sewarczano condam Filippi Do . . . de Goricia,

Henssilino servitore d. Raspi, Rapoto Francisco dicto Micza et Leonardo civibus de Goricia testibus et aliis.

Volricus filius Engelprechti de Cormono coram dictis testibus et me Notario infrascripto interrogatus quid sciret de prodicione Castri de Cormone que figere debebat per aliquos de dicto Castro ut dicebatur, confessus fuit et dixit sponte et non coactus quod Dettricus de Werenstain dixit sibi quod Dominus Chenuch miles et Meissalchus domini Patriarche tractaverunt cum eo quod ipse Dettricus procurare deberet quod ipse d. Patriarcha habere posset per aliquem modum Castrum de Cormono, que omnia dictus Dettricus naravit fratri suo Georio et sic predictus Georius et Dettricus fuerunt concordēs. Postea vero predictus Georius venit ad ipsum Wolricum dicens sibi quod ipsi fratres erant concordēs in tali facto. Qui Wolricus respondens dixit, heu michi quid fecit nobis dominus noster quod nos debemus tradere suum Castrum tali modo. Et tunc Georius dixit sibi, sile frater qui nobis promiserunt mille marchas, exinde habebimus honorem et utilitatem et postea ipse Wolricus dixit dicto Georio, ego contentor in hoc et facere debemus.

Iterum predictus Georius venit ad patrem ipsius Wolrici et dixit sibi predicta, que omnia predictus pater suus dixit fideliter dicti Wolrici (*sic*).

Et finaliter Dettricus et fratres sui fuerunt unanimes et concordēs cum Engelprechto patre dicti Wolrici et ipse Engelprechtus una cum dicto Wolrico et alio fratre suo filiis suis omnes simul hinc inde ad dandum et tradendum dictum Castrum de Cormono prefato domino Patriarche simul et in vicem fuerunt concordēs. Tuncque dixit etiam dictus Wolricus quod predictus Dettricus de Werenstain pro predictis complendis iam acceperat in se florenos octo centum et quando completum fuisset negotium huiusmodi sive predictus tractatus dicti Castri residium pecunie promisse debebat dari et solvi. Dixit etiam predictus Wolricus quod ipse Wolricus (*sic*) quod ipse Dettricus dixit sibi, quod unam domum meliorem que esset in Castro de Cormono debebat recipere et illam domum dare prefato Engelprechto et filiis suis et in eodem Castro, ipse Dettricus debebat esse capitaneus. Interrogatus quo tempore dictum

Castrum debebat tradi et dari. Respondit quod tradi et dari debebat ipsum Castrum de Cormono tempore quo dictus Patriarcha equitavit Sacilum. Similiter dixit quia hoc omne figeri non potuit dictus Detricus misit unam literam Utinum dicto domino Patriarche per famulum suum Wluigum et tunc habita littera dictus d. Patriarcha equitavit Sacilum.

Actum ante forum Goricie in Curia d. Meinhardi incliti Comitis Goricie et Tyrolis, die decimo nono mense Augusto.

S. N. Ego Johannes de Goricia imperiali auctoritate publicus Notarius interfui his omnibus et rogatus scripsi.

Da perg. orig. Arch. di Stato in Vienna. Repert. I.

## CCXX.

*1354. 7 Marzo. Castellutto.*

Gli abitanti di Castellutto promettono sommissione e fedeltà al Conte di Gorizia.

A. D. MCCCLIV. ind. VII. Die septimo mensis Martii, in ecclesia s. Felicitatis loci de Castilutto, presentibus nobilibus viris dominis Francisco de Villalta, d. Rizzardo olim d. Johannis Francisci de Castello, d. Nicolao q. d. Johannis de Portis, ser Ancio de Ragonea, d. Simone purgrafio de Castromovo, Janzilo Vilden de Goricia, Conrado q. ser Alberti scribe, Peterlino et Nichilo de Ebristayn et aliis.

Congregatis ad invicem omnibus et singulis vicinis et habitatoribus Castillutti cum domina Clara de la Turre coram illustri magnifico et potenti domino d. Meynhardo Goricie et Tirolis Comite, videlicet ser Nichilo de Ariis, Johanne eius filio, Archilotto et Nicolussio fratribus, Nascinguerra de Faganea, Nicolao Carnello, Nicolao et Matthiussio fratribus q. Jacobi de Ariis, Adalgerio de Ragonea, Ambrosio de Gorgonzula, Venerio q. Thomadi de Merdariolo, Padoano de la Turre, Johanne eius filio, Raynaldo Cavallo, Nicolussio de Varmo et Pace Lomagna de Oppreno, Bertholossio q. Johannis Tresci, Angelo sartore, Antoniolo eius filio, Werra bechario, Aprile, Rubeo cerdone, Rubeo de Rivalta, Antoniutto et Ligo fratribus, Warnerio dicto Mangiono, Jacobino Fachini, Jacobino dicto

Mestico, Simone domine Margarete, Zimero, Antonio de Carmazzis, Anichino q. d. Rugerii, Venerio muratore, Libanorio marangono, Usigino Carnello, Justo sartore, Jacobino et Stefano portoneriis, Simone et Andrea custodibus turris et aliis omnibus vicinis et habitatoribus de Castillutto, et dicti omnes pro se etc. promiserunt predicto d. Comiti pro se et fratre suo domino Comite Henrico eorumque heredibus stipulanti et recipienti recte, legaliter et fideliter servire in loco de Castillutto et non tractare et tractationem aliquam non facere nec consentire contra eorum statum et honorem predictorum dominorum Comitum suorumque heredum et servitorum eorundem: et si sciverint tractatum aliquem fieri contra eorum statum et honorem, quam citius potuerint predicto tractatui resistere toto posse et notificare vel notificari facere quam citius poterunt bona fine ed sine fraude: promittens ac iurantes ad sancta Dei evangelia predicta omnia et singula perpetuo habere firma et rata etc. obligantes ad hec omnia eorum bona etc

Da copia nei mss. Fontanini. Bibl. di s. Daniele del Friuli.

## CCXXI.

*1354. 29 Maggio. Gorizia.*

Il nob. Rizzardo di Castello promette servire con due armati a cavallo il Conte Mainardo di Gorizia e fratello contro ognuno eccetto il Conte Bartolomeo di Veglia.

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto, indictione septima, die vigesimo quinto mensis Maij, in castro Goricie in camera d. comitis Meynardi infrascripti, presentibus Jançil Jud et Antonio de Rabata de Goricia, Thoma filio dicti Jançil Jud, Conrado et Peterlino fratribus et filiis condam d. Alberti dicti loci, Rolando eciam dicti loci, Uricio condam Jacobi de Wipaco Goricie comorante, Biachino de Soffinbergo, Uricio de Gramoglano, Henrico scriba d. comitis infrascripti, Mertil familiari ipsius d. comitis et aliis.

Infrascripta sunt pacta ihnita, habita ed firmata inter magnificum et potentem dominum d. Meynardum inclitum

comitem Goricie et Tyrolis ex parte una et nobilem virum d. Rizardum condam d. Johannis Francisci de Castello ex parte altera. Primo quidem ipse d. Rizardus corporaliter iuravit ad sancta dei evangelia sibi a me notario infrascripto dato debito sacramento eidem d. comiti Meynardo pro se et d. comite Henrico fratre suo et eorum heredibus stipulanti et recipienti eis perpetualiter contra quoscumque homines et personas fideliter et legaliter servire et mandatis eorum et ipsorum cuiuslibet parere et in omnibus et per omnia firmiter obedire et nunquam contra eos vel eorum alterum aut ipsorum heredes dolo ingenio sive fraude dicere facere vel venire excepto tamen et excluso d. comite Bartolomeo et eius filiis et heredibus, comite Vegle, Modrusse, Umodoli atque Sazche, contra quem nullatenus debeat venire vel facere sic et taliter, quod si casu aliquo interveniente accideret quod werra vel discordia oriretur et eveniret inter predictos dominos comites Goricie ex parte una et ipsum d. comitem Bartolomeum ex parte altera, quod ipse d. Rizardus neutri eorum teneatur vel debeat servire. Item servire eisdem dominis comitibus continue cum duobus armigeris equitibus ipso d. Rizardo personaliter incluso cum uno socio in dicto servicio in Foro Julii silicet Carstis et Istria quando et quocienscumque per eosdem dominos comites vel per eorum alterum aut per ipsorum specialem nuncium fuerit licite requisitus, ita et taliter, quod si status et condicio ipsius d. Rizardi ad melius pervenirent et prospere sibi succederent, quod tunc secundum statum et posse suum teneatur et debeat servire dominis comitibus prenotatis. Item quod supranominati nunquam facere (debeant) pacem, tractatum vel concordiam aliquam per se vel per interpositas personas vel personam cum domino patriarcha Aquilegensi vel suis complicitibus seu sequacibus aut servitoribus vel subiectis vel cum aliquo inimico ipsorum dominorum comitum absque licentia et expresso consensu dominorum comitum predictorum vel alicuius eorum. Preterea si dicti domini comites vel eorum alter inhirent vel facerent tractatum aliquem cum d. patriarcha predicto occasione pacis vel concordie fiendarum in quibus pace vel concordia idem d. Rizardus includi non posset casu aliquo interveniente, quod ex tunc ipse d. Rizardus liber et absolutus sit

et esse debeat penitus a promissionibus supradictis. Item si predicti domini comites ipsum d. Rizardum pro servitore amplius habere postponerent sive nolent, ex tunc ipso facto idem d. Rizardus a dictis promissionibus sit et esse debeat liberaliter absolutus, promittens iam dictus d. Rizardus quo supra nomine ipsi domino comiti Meynardo, quo eciam supra nomine stipulanti omnia et singula supradicta, firma rata atque grata habere tenere et observare et non contrafacere dicere vel venire ratione aliqua vel occasione dolo ingenio sive fraude per se vel per alios sive per interpositam personam sub pena privationis bonorum suorum propriorum e feudorum ac quorumlibet iurium suorum que nosceretur habere a dominis comitibus supradictis cum reffecione dampnorum expensarum et infecione litis et extra et obligatione omnium suorum bonorum presencium et futurorum, que pena soluta vel non tamen omnia et singula in hoc instrumento contenta obtineant plenum robur. In quorum omnium testimonium et ad preces et instanciam ipsius d. Rizardi Nicolaus de Portis de Civitate, Worlicus de Castellerio et Dominicus de Rosacio eorum sigilla pendentia huic instrumento publico posuerunt et ipse idem d. Rizardus similiter suum sigillum apposuit pendens in testimonium predictorum.

Ego Nicolaus Pucinus de Glemona imperiali auctoritate notarius predictis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

Perg. orig. con tre sigilli pendenti da tre striscie di pergamena dell'i. r.  
Arch. di Stato. Vienna.

## CCXXII.

*1354. 27 Giugno. Udine.*

Nicolò patriarca d'Aquileja chiede soccorso all'imp. Carlo IV nella guerra contro i Conti di Gorizia.

Gloriosissime domine mi. Usque modo Treugas inter me et Comites Goricie quamvis per ipsos male observate fuerint credidi prorogandas. Quam prorogationem graciis appetebam ut in vestro incundo et desiderato adventu possem vel teneor cum honoris mei decentia vestre assistere maiestati. Sed si

contingat sicut indubie credo iam est parata in foribus me gwerram habere ignoro penitus quid agam, quia tum in gwerra preterita consumpserim omnia que habebam et non sperem a vestris fidelibus istarum partium propter gwerras graves inminentes in partibus lombardie habere subsidium nec ad defensionem Ecclesie nostre Aquilegensis michi suppetant facultates video nisi clementia vestra manum sue apponat clemencie ipsam Ecclesiam irreparabili subiacere discrimini et me et meos in extrema confusione et miseria constitutos. Et quamvis plures tractatus de Treugarum huiusmodi prorogatione tam per nobilem de Sterenberch per istas partes transeuntem quam (per) alios nobiles se interponentes habiti sint, nunquam ipsi Comites ad aliquod rationabile voluerint animos inclinare, sed in sua perseverantes et mala malis cumulantes, bona et possessiones meorum fidelium treugis pendentibus intromiserunt et cottidie intromittunt et quod amplius et deterius est, unus ex melioribus civibus meis Utinensibus cum uno suo scutifero et inermis invasus per eorundem Comitum servitores ex tunc interfectus. De cuius nece ingens mesticia et dolor non solum in dicta Terra Utinensi verum etiam per totam patriam Fori julii est exhortus et multa alia commissa sunt et committuntur que ex verborum nunc prolixitate dimitto. Que quidem non admiratione et murmuratione meorum subditorum et fidelium conviventibus pertransivi oculis potius volens ista tollerare pro nunc quam quod per me aliquid contra treugas faciam sic possim rationabiliter comprehendere. Et certe, mi domine, michi inperatur manifeste et publice et similiter aliis alii vestris et Sacri Imperii fidelibus adventum optatum expectantibus quomodo habere possimus spem regii adventus et subsidii quando dominus Imperator domino Patriarche fratri suo quem evidenter scit in tantis gwerrarum anxietatibus constitutum. Utinam rumores huiusmodi aures attingerent vestre regie maiestatis et dignaretur regia celsitudo ispirare quantis subiaceat periculis dicta nostra Ecclesia quia profecto commoverentur vestre viscera pietatis et eidem de celeri, prout necesse est, subsidio provideret. Ceterum credebam dominum Ducem Austrie velle super huiusmodi discordiis se ingerere et quod cum rubore loquor per me extitit requisitus, sed revera nichil penitus boni

operatus est et utinam non fecerit contrarium et dictis Comitibus non prestat auxilium et favorem. Non minus mirandum est si dicti Comites suas vices exercent contra me et dictam Ecclesiam tum presumant facere contra Regem eius cives et subditos captivando. Et vere ista non attemptarent dicere nec dum facere nisi spem haberent favoris et auxilii aliunde. Et ideo tum in vestre maiestatis et virtutis dextera tota spes mea consistat, nec est qui adiuvet nisi ipsa ad pedes celsitudinis vestre recurro velud ad singulare refugium, supplicans humiliter et deposcens quatenus super hiis vestra clementia oculos mentis aperiat et si non michi saltim dicte Ecclesie predicti Sacri Imperii membrum nobile et magnificum celeri pietate succurrat, factoreque sue non inmemor eam non deserat que vestigia regia sequi intendit ubilibet ecciam cum decem equis si incedere non poterit iuxta sue decenciam dignitatis. Scriptum in castro Utini die XXVII mensis Junii.

Regie maiestatis factura humilis  
Nycolaus Patriarcha Aquilegensis.

Dall' orig. nell' i. r. Arch. di Stato in Vienna. Repert. I.

CCXXIII.

1354. 22 Luglio. Udine.

Patti delle tregue fra il Patriarca d'Aquileja ed i Conti di Gorizia.

In Christi nomine amen. Pateat omnibus evidenter presentes litteras inspecturis quod nos Nicolaus dei gratia sancte sedis aquilegiensis patriarcha pro nobis ac nostris omnibus coadiutoribus, subditis, familiaribus et complicibus fecimus et recepimus et presentibus facimus et recipimus treugas rectas et legales bona fide sine fraude et dolo cum magnifico et potente domino Meynardo comite Goricie et Tirolis recipiente et promittente vice et nomine magnifici domini Henrici comitis fratris sui ac cum omnibus coadiutoribus, subditis, familiaribus complicibus suis abhinc usque ad festum beati Georii de mense Aprilis proximi nunc venturi duraturas cum pactis et conditionibus infrascriptis.



Primo quod dicte treuge bone firme et legales sint et sine fraude vel dolo predictis dominis Meynardo et Henrico eius fratri comitibus eorumque coadiutoribus, servitoribus, subditis et complicibus.

Item quod durantibus dictis treugis dicti domini comites eorumque coadiutores, familiares, subditi et complicés tam clerici quam seculares gaudeant et gaudere debeant eorum bonis, possessionibus et rebus omnibus propriis, que vel quas tenebant et possidebant ante guerram preteritam factam et ortam inter nos patriarcham et comites predictos, pacifice et quiete usque ad completum terminum dictarum treugarum.

Item quod durantibus treugis omnes carceratos per nos et nostros occasione dicte guerre in partibus Foriulii, Istrie et Carstis captos cum idonea satisfactione promittimus facere libere relaxari. Promittimus eciã quod vie et strate per totum nostrum dominium et districtum erunt libere, expedite ac secure dictis dominis comitibus, subditis, familiaribus et mercatoribus eorundem.

Item ut dicte treuge inviolabiliter observentur exnunc ad petitionem et requisitionem dictorum dominorum comitum eligimus et creamus viros nobiles fideles nostros Gerardum militem de Cucania, Henricum de Strasoldo atque Nicolum Orbiti de Utino quibus precipimus et mandamus quatenus audientiam dare debeant dictis dominis comitibus vel alteri eorum eorumque nunciis, subditis et familiaribus in eo videlicet, quod si per gentes nostras vel aliquem ipsorum aliquid fieret contra presentes treugas, quod dicti tales electi sive duo aut unus ex ipsis debeant nobis statim et incontinenti intimare et declarare prout fuerit eis relatum. Et auditis relacionibus et probationibus factis promittimus omnem emendam fiendam fieri facere infra quindecim dies post relacionem predictam. Et si integre non probarentur ea que relata essent, tunc promittimus mittere dictos electos aut duos vel unum ipsorum ad castrum Manzani qui debeant vel debeat ibi esse ad inquirendum super delicto denunciato et audire denuntiatorem et probationes suas. Quibus auditis promittimus omnem emendam fiendam facere fieri in termino supradicto. Et si contingeret quod propter aliquem casum omnes suprascripti electi in supradicto loco de

Manzano esse non possent, quod duo vel unus ex ipsis habeant vel habeat arbitrium audiendi et recipiendi probationes prout omnes simul facere possent. Et si contingeret, quod absit, quod unus ex ipsis aut plures morerentur, tunc secundum petitionem dictorum dominorum comitum vel alterius ipsorum promittimus alios seu aliam creare.

Item si casus occurreret, quod absit, quod nos infra terminum dictarum treugarum vellemus occasionem guerre facere contra dictos dominos comites, promittimus notificare eis vel ipsorum alteri aut eorum capitaneo Goricie per unum mensem antequam novitatem aliquam faciamus. Et a die qua eisdem vel alteri ipsorum aut capitaneo eorum per nos notificatum fuerit, promittimus per totum dictum tempus unius mensis non offendere dictos dominos comites, territoria, loca seu castra ipsorum vi vel potentia vel alio quovis modo quo dicte treuge possint dici aliquo modo rupte seu fracte. Quas quidem treugas per nos et nostros omnes coadiutores, subditos et familiares sine fraude et dolo bona fide promittimus observare.

In quorum omnium testimonium presentes literas iussimus fieri nostri pendentis sigilli munimine roboratas. Datum in castro nostro Utini die vicesimo secundo mensis Julii, anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto. Indictione septima.

Perg. con sigillo dell' Arch. di Stato in Vienna. Repert. XXIV.

## CCXXIV.

*1355. 16 Gennaio. Gorizia.*

Il Conte Mainardo di Gorizia non accorda per il momento l'investitura de' suoi feudi richiesta da Nicolò di Castello per sè e fratelli. (Vedi 1356, 26 Settembre).

A. D. MCCCLV, ind. VIII, die XXVI ianuarii in Castro Goritie supra schala ante canipam, presentibus D. Henrico scriba de Orzono, Simone Puichiamo, Rufino de Cormono, Francisco de Castellerio, Antonio de Rabata testibus et aliis.

Coram Magnifico et Potenti D. D. Meinhardo inclito Comite Goritie et Tyrolis comparuit Rizardus q. D. Johannis

Francisci de Castello dicens et proponens: Domine, suplico vobis pro me et fratribus meis quod feuda que progenitores nostri a vobis et a domo vestra actenus habuerimus et habemus nunc illa feuda michi pro me et dictis meis fratribus investire dignemini. Cui D. Comes auditis hiis que predictus Rizardus proposuit, respondit et dixit quod hucusque neminem de aliquo feudo investiverat, que ad presens suspendere intendebat, iure ipsius D. Comitis et dicti Rizzardi salvo.

Ego Johannes de Goritia imp. auct. publicus notarius his omnibus interfui et rogatus scripsi.

Perg. orig. nell' Arch. Frangipane, Castelporpeto.

### CCXXV.

1355. 22 Settembre. Varmo.

Trattato di pace tra il patriarca d'Aquileia ed i Conti di Gorizia.

Nos Nicolaus Dei gratia sancte sedis Aquilegensis patriarcha notum facimus universis presentes litteras inspecturis, quod ob amorem et benevolentiam quam ad magnificos et potentes viros dominos Meynardum et Hainricum fratres Goritie et Tyrolis Comites, dicte Aquilegensis, Tridentine et Brixinensis Ecclesiarum advocatos gerimus nec non ob affectionem magnifici, et potentis viri domini Francisci de Carraria pro imperiali majestate civitatis Padue et districtus Vicarii generalis amici et fratris nostri carissimi, se interponentis pro pace concordia infrascripta cum dictis dominis Comitibus, et eorum fautoribus et servitoribus quibuscumque, super omnibus litibus et questionibus quacunque occasione inter nos et ipsos hinc inde vertentibus pacem et firmam concordiam perpetuo duraturam fecimus ac per presentes facimus et promittimus in hunc modum prout in infrascriptis plenius et per omnia continetur.

Primo videlicet quod nos per nos et nostros successores, ipsos dominos Comites et eorum haeredes libere ac perpetuo in eorum advocatia nostre Aquilegensis Ecclesie et in omnibus iuribus ad dictam Advocatiam spectantibus quocumque nomine censeantur prout antecessores et progenitores eorum ipsam Advocatiam hactenus tenuerunt nullo modo impediamus, nec

in eadem Advocatia eis vel eorum heredibus aliquod dampnum inferamus, nec nosmet nec alicui alteri consentiemus clandestine aut aperte, sed specialiter ipsos et eorum haeredes aut fratrem eorum Comitum Albertum si sine heredibus ipsos decedere contingeret, quod absit, in dicta Advocatia et eius pertinentiis et in omnibus aliis eorum iuribus manutenebimus, protegemus et defendemus tanquam nostros et nostre Ecclesie antedictae veros et legitimos Advocatos ita et taliter quod de dicta Advocatia et iuribus suis libere gaudere, frui et uti valeant quolibet contradictione aut obstaculo penitus remotis per nos et nostros servitores et subditos quoscunque.

Item quod nos ipsis dominis Comitibus compleamus per effectum omnia pacta ipsis per nos promissa in Budweis que in littera per nos ipsis ibidem data plenius continentur et si qua comissa forent contra pacta in predicta littera contenta, emendentur.

Item quod nos tenemur eisdem dominis Comitibus restituere partem ipsorum in Varmo.

Item quod nos tenemur precipere effectualiter omnibus subditis et servitoribus nostris quatenus predictis dominis Comitibus aut eorum alteri ostendant litteras et iura sua super bonis ipsorum que ab ipsis tenent in feudum aut iure pignoris quandocumque per eosdem dominos Comites super eo fuerint requisiti et si qua feuda, seu impignorationes per nostros indebite occuparentur illa prosequi debeant mediante iustitia et nos ipsos in huiusmodi prosecutione favere debebimus et nullatenus impedire absque fraude.

Item omnia bona nobilium de Foroiulio que per nos forent intromissa et que habentur ab ipsis dominis Comitibus in feudo, aut que per progenitores ipsorum aut per ipsos forent impignorata quandocumque nos de iuribus eorum per ipsos informabimus, libere restituere teneamur.

Item non debebimus nec tenemur ipsos dominos Comites impedire in bonis quorumcunque ipsorum servitorum de Castellutto, ubique, exceptis illis bonis que a nobis habentur infeudo.

Item quod a civibus ipsorum Portuslatisane non recipiatur aliqua muta in locis nostris de cetero, cum per ipsos informati fuerimus quod huiusmodi mutam dare non teneantur.

Item quod Claustro de Bresniko<sup>1)</sup> predictorum dominorum Comitum foundationi, per homines de Palazolo, aut alios servitores nostros de cetero non fiat aliqua iniuria aut gravamen et si fieret procedere teneamur contra delinquentes usque ad integram satisfactionem.

Item si aliqua bona feudalia ipsorum dominorum Comitum ab ipsis per nostros tempore debito non essent requisita seu petita, aut que ad ipsos dominos Comites essent devoluta, eadem bona prosequi debent mediante iustitia et in eisdem bonis eos manutenere, fovere fideliter et conservare tenemur.

Item debemus illis de Villalta et de Castellerio et aliis servitoribus nostris propter servitia que ipsis dominis Comitibus per eosdem contra nos facta sunt de cetero non inferre aliquam molestiam seu indignationem occasione huiusmodi servitorum absque dolo et fraude et bona ipsorum ipsis restituere integre et complete, ita quod ipsi de huiusmodi bonis frui et gaudere valeant possessione pacifica.

Item relaxamus omnes servitores dominorum Comitum et absolvimus ab omnibus iuramentis et promissis si qua per eosdem nobis facta fuissent.

Item remittimus omne dampnum quod nobis et nostris illatum est tempore treguarum integrum et completum.

Item omnes et singulos carceratos per nos et nostros detentos in Foroiulio, Carsis et Istria, subditos ipsorum dominorum Comitum, relaxamus pristine libertati.

Item si aliqua bona predictorum dominorum Comitum aut eorum subditorum per nos aut nostros forent occupata, debemus illis qui petunt restitutionem dare terminos debitos et etiam illis qui debent respondere, et si petentes poterunt ostendere iusta ratione quod contra ius sint expulsi, debemus ex nunc eosdem ponere in possessionem et habita possessione illi respondeant per iustitiam impetentibus eos, salvis iuribus omnibus et munimentis que habemus aut habere videmur nos et Aquilegensis Ecclesia in Castro de Petrapillosa et suis pertinentiis et aliis quibuscunque, salvis etiam omnibus iuribus, et

<sup>1)</sup> Ora Procenico, distretto di Latisana.

munimentis que habent aut habere videntur domini Comites antedicti super dominium Vallis Cadubrii et civitatis Venzoni et suis pertinentiis.

Item si per nos aut nostros predictis dominis Comitibus aut suis alicue novitates aut dampna insurgerent modo quocumque, hoc debent dicti domini Comites aut quicumque erit loco ipsorum in Goritia nobis aut illi qui loco nostri erit in Foroiulio significare et de quocumque informabimus fuisse irrationabiliter, aut violenter factum, illud promittimus emendare infra tres menses totaliter et complete postquam requisiti fuerimus super eo; si vero illud facere neglexerimus omne dampnum quod exinde dicti domini Comites perciperent, illud tenemur sibi persolvere cum effectu, obligantes ad hec omnia bona nostra et prefate nostre Ecclesie Aquilegensis.

Item tenemur precipere Johanni de Stayn ut dicti dominis Comitibus restituat medietatem Castri ipsorum in Ratspurch cum aliis Villis ipsorum et eorum servitorum, quas detinent occupatas; et si idem Johannes hoc facere recusaret, nos tenebimur prebere auxilium dictis dominis Comitibus contra predictum Johannem iuxta possibilitatem nostram.

Item promittimus predictis dominis Comitibus quod quandocumque ipsi petent a Johanne de Stayberch restitutionem honorum, videlicet servitorum eorum Enrici de Ratesperch, illorum de Gutnek et Nicolussii quondam de Castronovo, si tunc idem Johannes eandem restitutionem facere recusaret, ex tunc eidem Johanni nullum auxilium dare et prebere debebimus contra dominos Comites antedictos.

Item si aliquos fecissemus processus contra predictos dominos Comites aut eorum servitores per querimonias seu excommunicationes aut alio modo quocumque illas omnimode tenemur revocare et per omnia presentibus revocamus.

Que quidem omnia et singula suprascripta promittimus per fidem nostram remotis omni dolo et fraude attendere, adimplere ac inviolabiliter observare et contra ea seu eorum aliquod per nos, seu alio modo aliquo nullatenus facere aut venire.

In quorum omnium testimonium presentes fieri iussimus nostri sigilli appensione munitas.

Datum in monasterio sancte Marie prope Varmum, die XXII mensis Septembris, anno Dominice nativitatis MCCCLV, Indictione VIII.

Not. Gubertino da Novate. Bibl. civ. Udine. Orig.

(Ristampato perchè edito dal Carli, Antich. Ital. e nel Cod. Dipl. Istriano con errori ed ommissioni.)

CCXXVI.

1355. 22 Settembre. Varmo.

Trattato di pace tra il Patriarca d'Aquileia ed il Comune di Trieste.

Universis et singulis tenore presentium pateat evidenter quod nos Nicolaus Dei gratia sancte sedis Aquilegensis Patriarcha super omnibus litibus, questionibus, controversiis, dampnis et iniuriis dictis et factis quomodocumque nobis nostrisque subditis, districtualibus et coadiutoribus et Ecclesie Aquilegensis per Commune et homines civitatis Tergesti eorumque districtuales, subditos, servitores et coadiutores ad pacem et concordiam devenimus et pacem bonam et legalem perpetuo duraturam fecimus et per presentes facimus nobili viro d. Philippo Dandulo Potestati, Iudicibus, Consilio, dicto Communi et hominibus Civitatis Tergesti suisque subditis, servitoribus et coadiutoribus per nos ipsos et nomine Aquilegensis Ecclesie, nec non vice et nomine omnium nostrorum subditorum, coadiutorum ed ecclesie Aquilegensis omni modo, via, iure et forma quibus melius possumus presente illustri et magnifico viro d. Meynhardo Goritie et Tyrolis Comite. Et promittimus quod Capitulum dicte Ecclesie Aquilegensis et curabimus cum effectu ratificabit et ratam habebit dictam pacem et pacta infrascripta hinc ad duos menses venturos. Quorum pactorum tenor talis est, videlicet.

Quod omnia dampna, iniurias, offensas, lites, questiones et controversias quascumque dictas et factas nobis et servitoribus, subditis et coadiutoribus nostris ac Ecclesie Aquilegensis illatas per Comune et homines civitatis Tergesti et eorum subditorum et eorum servitores ac coadiutores occasione guerre

et discordie habite inter nos et dominos Comites Goritie et Tyrolis et eosdem Commune et homines de Tergesto remittimus et libere relaxamus eidem et absolvimus, et promittimus nos curaturos quod hinc ad duos menses proximos venturos Commune et homines Terre Mugle cedent et renuntiabunt per publicum instrumentum omni liti et questioni quam predicti de Mugla noverunt Venetiis Communi Tergesti occasione certe quantitatis salis eisdem recepti super territorio Mugle per homines de Tergesto, et de dicta questione liberabunt, et si Commune et homines dicte Terre Mugle predictae liti nolent cedere et renuntiare coram iudice sive iudicibus coram quo aut quibus ipsa questio mota est et pendet, et ipsos Commune et homines de Tergesto habere absolutos, quod tunc reputamus et reputabimus eos tamquam inobedientes nostros et Ecclesie Aquilegensis. Et si qua questio, lis sive guerra occasione predicta oriretur sive moveretur contra Commune et homines dicte Terre Mugle per Commune et homines dicte civitatis Tergesti, quod ipsis Communi et hominibus de Mugla non dabimus nec prestabimus per nos, nostros subditos, servitores et coadiutores palam aut occulte auxilium nec favorem contra Commune et homines civitatis Tergesti, et inde non habeatur nec intelligatur ob hoc pax facta inter nos et Comune et homines civitatis Tergesti esse fracta.

Item promittimus quod per totum nostrum dominium et districtum strate libere sint aperte et secure cum mercationibus venientibus ad civitatem Tergesti et redeuntibus, more antiquo observato, ed quod Commune et homines de Tergesto eorumque districtuales et subditi pro totum nostrum dominium et districtum possint et valeant libere et secure ire, transire, stare et redire cum bonis pariter et personis et omnes carceratos Communis et districtuales civitatis Tergesti per nos et nostros servitores et subditos a carceribus relaxamus et absolvimus et relaxatos esse volumus et fideiussiones inde factas cassamus et anichilamus.

Quam quidem pacem et omnia supradicta promittimus bona fide et sine fraude attendere et observare per nos et nostros subditos, servitores et coadiutores in pena et sub pena mille marcharum denariorum aquilegensium totiens committenda



et exigenda quotiens extiterit contrafactum, pace et concordia remanente in sua roboris firmitate, sub obligatione omnium bonorum nostrorum et Aquilegensis Ecclesie presentium et futurorum ac refectione omnium dampnorum et expensarum. In quorum omnium presentes fieri iussimus nostri sigilli appensione munitas.

Datum in monasterio s. Marie prope Varmum die XXII Septembris, anno dominice nativitatis MCCCLV, ind. VIII.

Not. Gubertino da Novate. Bibl. Civ. Udine. Orig.

## CCXXVII.

*1355. 22 Settembre. Castello di Varmo.*

Castello di Vipacco concesso dal Patriarca sua vita durante ai Conti di Gorizia.

Nicolaus Dei gratia S. sedis Aquilegensis Patriarcha magnificis et potentibus viris dominis Meynardo et Hainrico fratribus Goritie et Tirolis Comitibus amicis nostris carissimis salutem et sincere dilectionis affectum.

Ut benevolentie specialis affectum quem corde et animo ad vestras gerimus personas per operis efficaciam apertius cognoscatis: utque ad nostra et Aquilegensis Ecclesie obsequia corda vestra eo ferventius animentur quo a nobis et dicta Ecclesia vos senseritis honoratos utiliter et promotos, Castrum nostrum inferius de Vipaco cum Gastaldia ipsius loci, garicto, iurisdictione, mansis, afflictibus, redditibus, proventibus et iuribus quibuscumque ad Castrum et Gastaldiam huiusmodi spectantibus tenore presentium de speciali gratia et benevolentia ad vitam nostram duximus concedendam, ad habendum, tenendum et omne vestrum commodum faciendum, salvo iure proprietatis nostre.

Ita tamen quod Castrum ipsum nobis et gentibus nostris perire ac nos et familiam nostram in eo recipere teneamini quandocumque et quotiescumque super hoc fueritis requisiti. Mandantes universis et singulis subditis et massariis et colonis

dicte Gastaldie nostre subiectis quod vobis de premissis omnibus respondeant fideliter tamquam nobis donec vitam duxerimus in humanis. In cuius rei testimonium presentes fieri iussimus nostri sigilli appensione munitas.

Datum in Castro Varmi die XXII mensis Septembris anno dominice nativitatis MCCCLV. ind. VIII.

Not. Gubertino da Novate. Bibl. civ. Udine. Orig.

CCXXVIII.

1356. 28 Gennaio. Aquileja.

Il Patriarca dichiara di essere stato pagato del censo annuo per la barca al passo dell' Isonzo.

Nos Nicolaus Dei gratia sancte sedis Aquilegensis Patriarcha universis et singulis presentes litteras inspecturis volumus esse notum nos habuisse et integre recepisse a Stoyne de Begliano ultra Ysoncium, censum per ipsum annuatim debitum pro navicula seu zopo fluminis Ysoncii a die quo intro-misimus nos de bonis olim Hermani militis de Carnea<sup>1)</sup> usque ad diem in quo Mathiussium eiusdem Hermani filium a nostris carceribus relaxare fecimus absolutum. De quo quidem censu eidem Stoyne per presentes finem et remissionem facimus ac pactum de ulterius non petendo. In cuius rei testimonium presentes fieri fecimus et bullettini nostri secreti impressione muniri.

Datum in nostra civitate Aquilegie die XXVIII mensis Januarii sub anno dominice nativitatis MCCCLVI. ind. IX.

Not. Gubertino da Novate. Da copia nell'arch. capit. Udine.

---

<sup>1)</sup> Il cav. Ermanno di Carnia era stato privato de' beni e decapitato il 3 dicembre 1351 per ribellione al patriarca, ed in pari tempo il di lui figlio Mattiusso veniva condannato al carcere, dal quale non fu liberato che nel 1355 il 21 novembre ad istanza de' Comuni di Udine e di Cividale.

## CCXXIX.

1356. 16 Marzo. Udine.

Accordo tra il Patriarca d'Aquileja ed il Conte di Gorizia di non dare asilo ai ribelli.

Nos Nicolaus Dei gratia sancte sedis Aquilegensis Patriarcha tenore presentium promittimus per fidem nostram magnifico et potenti viro d. Meynardo Goritie et Tyrolis Comiti quod si aliqui proditionem fecerint in personam eiusdem d. Comitis aut fratris sui domini d. Comitis Henrici, seu amodo facerent et per laudum et sententiam secundum ius et sententiam ac consuetudinem Terre Forijulii seu dicti Comitatus sui fuerint banniti, illos nullatenus retinebimus in locis nostris omni fraude remota et de bonis eorundem nos non impediemus ullo modo, exceptis bonis que per ipsos a nobis et nostra Aquilegensi Ecclesia haberentur in feudum, aut ipsis per nos seu nostros predecessores aut Ecclesiam Aquilegensem essent nomine pignoris obligata. In cuius rei testimonium presentes fieri iussimus nostri sigilli appensione munitas.

Datum in castro nostro Utini die XVI mensis Martii, anno dominice nativitatis MCCCLVI. ind. IX.

Not. Gubertino da Novate. Bibl. civ. Udine. Orig.

## CCXXX.

1356. 24 Maggio. Cividale.

Il Comune di Cividale dichiara far garanzia al Conte Maimardo di Gorizia, per il rilascio di beni in Flambro sequestrati ad alcuni di Cividale.

Universis et singulis presentes literas inspecturis notum fore volumus et publice profiteamur Nos Franciscus de Civitate Austria Castaldio nec non Provisores Consilium et Comune Civitatis Austrie, quod cum per Magnificum et potentem dominum d. Meynardum Illustrem Goritie et Tirolis Comitem certa bona in Flambro inferiori essent et detinerentur intromissa, que sunt Nicolai condam Guilelmi et heredis condam Zanni Stephani Benedicti de Civitate Austria et cum per literas eiusdem d. Comitis sint distromissa tali conditione, quod

si tempore aliquo dicta bona reperirentur obligata alicui persone quocumque nomine censeantur vel quodvis aliquid haberetur per quemcumque in illis propter quam obligationem vel ius habitum in eisdem prefatis d. Comitem contingeret vel oporteret aut dictos heredes aliqua dampna pati vel pateretur, ob inde promittimus et stamus per nos nostrosque successores et heredes ipsum d. Comitem et eius heredes relevare et conservare indempniter, obligantes pro predictis antedictis et observandis omnia et singula nostra et dicti Communis bona presentia et futura. In quorum omnium rei testimonium presentes literas fieri fecimus et Sigillo nostri Communis iussimus sigillari. Sub anno domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, Indictione nona, die XXIII Maii.

Dall' orig. Arch. di Stato in Vienna. Repert. I.

## CCXXXI.

1356. 6 Giugno. Strassoldo.

Divisione di servi e beni tra Mainardo conte di Gorizia ed il nobile  
Francesco di Strassoldo.

Universis et singulis presentes litteras inspecturis pateat evidenter, quod cum illustris magnificus et potens dominus d. Meinhardus comes Goricie et Tirolis nec non ecclesiarum Aquilegensis Tridentine et Brixinensis advocatus ex parte una et ego Franciscus condam Gabrielis de Strassoldo parte ex altera haberemus inter nos dividere Tuleum dictum Cussatum et Henricum fratres et filios condam Martini de Castiglone prope Strasoldum communes homines nostros et servitores de masnata et prefatus Tuleus cum omnibus possessionibus videlicet uno manso cum decima in Reyfinberch; item in sancto Andrea uno manso prope Goriciam; item in villa de Soloschan prope Montemfalconum manso uno; item in Morteglano manso medio; item in villa Chasotis mansus medius; item in villa Puzoli tria staria bladi; item prope villam Cirvignan starium uno cum dimidio bladi; in Aquilegia medium starium frumenti; item prope villam de Cortvera medietatem lignorum cuiusdam nemoris hinc ad annos tres quod apelatur Sterp; item medium

starium de blado in Puzul et aliis bonis mobilibus et immobilibus parte sue hereditatis tangentibus evenerit in sortem predicti comitis, et predictus Henricus cum omnibus possessionibus videlicet in villa de Castiglono manso uno cum pratis et nemoribus ibidem; item in villa Morteglano manso medio; item in villa Chasotis manso medio; item prope villam Cirvignan uno cum dimidio stario bladi; item in Cortevera medietatem lignorum cuiusdam nemoris ad annos tres; deinde vero totum nemus predicto Henrico; item silvas et prata prope Strasoldum; item in Aquilegia medium starium frumenti et aliis bonis (*sic*) mobilibus et immobilibus partem sue hereditatis tangentibus evenerit in sortem partis mei Francisci. Ego de sorte partis mee predictae contentus pro me et heredibus meis facio predicto domino comiti et Tuleo dicto Cussato et eorum heredibus tam de persona ipsius Tulei et natis ab eo descendantibus quam possessionibus et bonis prefatis partem sue hereditatis tangentibus et in posterum ab eo aquirendis finem remissionem quietationem et pactum de ulterius non petendo promittens pro me et meis heredibus prefatas divisionem et pactum firma et rata habere et non contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa harum testimonio literarum meo sigillo munitarum. Data in Strasoldo anno domini millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, die septimo mensis Junii, indictione nona.

Perg. orig. Arch. di Stato, Vienna, con sigillo pendente.

## CCXXXII.

*1356. 10 Giugno. Pietrasanta.*

L'imperatore Carlo IV commette a tre giuriconsulti la causa tra Francesco e fratelli figli del q. D. Federico di Savorgnano ed i Conti di Gorizia per compensi pecuniari pretesi dai primi.

Carolus quartus divina favente clementia Romanorum Imperator semper augustus et Boemie Rex Sapientibus et prudentibus Cyno de Castelliono Referendario, Floravantio de Bursio de Tervisio et Aldrighetto de Civitate Belluni legum Doctoribus fidelibus suis dilectis gratiam nostram et omne

bonum. Gravamen, querelam nobilis Francisci suo et fratrum suorum nomine filiorum et heredem q. Federici de Savorgnano recipimus continentem quam licet ipsi habere debeant hereditario iure a Spectabilibus Comitibus Goritiae multas et magnas pecunie quantitates, tamen propter capitales inimicitias que diu vignerunt et adhuc vigent inter eos hinc inde iustitie<sup>1)</sup> consequi super premissis non potuerunt hucusque aliqua ratione; Nos volentes indemnitati ipsorum de domo Savorgnana ex debito nostri officii salubriter providere de vestre fidei quoque nec non circumspeditionis et legalitatis industria specialem fiduciam obtinentes vestre discretionis causam que inter dictas partes vertitur committimus audiendam, mandantes et volentes omnino quatenus vos vel duo aut unus vestrum quibus vices vestras in solidum in hac parte committimus, dictis partibus et aliis qui vocandi fuerint ad vestram presentiam evocatis, causam ipsam audiat, terminetis et prescriptione temporis, si qua forte ex inimicitiarum predictarum causa occurrisset dicatur in contrarium non obstante, sine debito decidatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra imperiali a dictis partibus inviolabiliter observari. Testes vero qui nominati fuerint si gratia, odio vel timore subtraxerint faciatis simili modo auctoritate nostra predicta veritati testimonium perhibere.

Datum Petre Sancte X die mensis Junii, regnorum nostrorum anno nono, imperii vero primo.

(L. S.) Per D. Cancellarium P. Prepos. Vor....

Da copia nel vol. II, 80 Collez. Concina, S. Daniele del Friuli.

### CCXXXIII.

1356. 26 Settembre. Gorizia.

Il nobile Nicolò di Castello per sé, fratelli e figli chiede a Mainardo conte di Gorizia l'investitura de' feudi che teneva da quella casa.

V. 1355. 16 Gennaio.

In Christi nomine amen. Anno eiusdem nativitatis Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo sexto. Indictione nona,

<sup>1)</sup> Forse *complementum*.

die vigesimo sexto mensis Septembris. Presentibus nobilibus viris dominis Simone milite de Wualvesons, Federico milite de Ebristayno, Francisco condam D. Vuarnerii de Chucanea, Petro dicto Peterly de Ebristayno, Jancillo dicto Yut de Goricia, Bernardo condam D. Pauli militis de Gramoglano, Zanono de Civitate Austria habitante in Goricia testibus et aliis quampluribus.

Coram illustri et magnifico dd. Meynardo Comite Goricie comparuit nobilis vir D. Nicolaus dictus Porpetus filius condam D. Joannis Francisci de Castello pro se et fratribus et nepotibus suis flexis genibus humiliter rogans et suplicans et cum instantia reverenter inquirens ut eidem D. Comiti dignaretur investire eidem D. Nicolao et fratribus et nepotibus suis de omnibus et singulis bonis et possessionibus feudalibus, que et quas antecessores dicti D. Nicolai de Castello habent in feudo ab antecessoribus dominis Comitibus de Goricia, offerens se dictus D. Nicolaus pro se et dictis fratribus et nepotibus suis dicto D. Maynardo Comiti obedire et facere tamquam vassallum prout de iure sunt costricti et ne dampnum et preiudicium possit generari de dicto feudo, quo loco et tempore requisivisset tamquam maior etatis fratrum. Mandavit michi notario infrascripto predicto sibi reduci in publicum instrumentum.

Actum Goricie in maiori sala palatii dicti D. Comitis.

Ego Franciscus q. Miculi de Utino imperiali auctoritate publicus notarius predictis omnibus interfui et rogatus fideliter scripsi.

Da pergamena originale nell'Archivio Frangipane. Castelporpeto.

CCXXXIV.

1356. 6 Ottobre. Gorizia.

Parte del castello e della villa di Varmo data in feudo dal conte di Gorizia ai nobili Signori di S. Daniele.

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, ind. nona, die sexta

mensis Octobris, in sacristia Ecclesie Fratrum Minorum de Goritia. Presentibus Antonio de Rabatta, Henrico de Ortemburch et altero Henrico scriba in Tulmino Capitaneo, Fradono de Brazacco, Thoma filio Janzii iudei de Goritia, Bertrando notario commorante in S. Daniele et aliis.

Magnificus et potens dominus d. Meynardus inclytus Comes Goritie et Tyrolis per se et d. Comitem Henricum fratrem suum pro quo de rato promisit et eorum heredibus, dedit et contulit nobili viro d. Zanutto q. d. Bartholomei militis de S. Daniele, pro se et fratribus suis ac d. Conradella patruo suo dicti loci de S. Daniele et eorum heredibus recipienti et stipulanti in rectum et legale feudum partem suam castri de Varmo, secundum quod dictam partem dicti castri hucusque habuit, tenuit et possedit, cuius confines tales esse dicebantur; ab una parte scilicet est palatium quod fuit Asquini et Rizardi fratrum de Varmo, ab alia parte est porta comunis dicti castri de Varmo, a tertia parte ripa fluvii Varmi, vel si alii forent meliores confines, cum parte sua burgi dicti Varmi et omnibus et singulis suis iuribus et pertinentiis dicte partis ipsius d. Comitis Varmi ad ipsam partem directe pertinentibus et spectantibus, cum introitibus et exitibus suis ad habendum, tenendum, gaudendum et perpetuo possidendum et omnem suam voluntatem et utilitatem de dicta parte castri Varmi de cetero faciendum, iure tamen dicti feudi semper et consuetudine semper salvis et pactis quidem habitis et solemniter firmatis, quod dicta pars Varmi dicti feudi ipsius d. Comitis per quodcumque tempus aperta et libera esse debeat predictis dominis Comitibus et eorum cuilibet et agenti eorum et ipsorum heredibus contra quemcumque hominem et personam intrando et exeundo libere, excepto dumtaxat contra d. Patriarcham Aquilegensis qui nunc est et pro tempore fuerit, nisi specialis guerra inter eosdem d. Patriarcham esset et dominos Comites manifesta. Item quod dicti de S. Daniele et eorum heredes teneantur et debeant prefatis dominis Comitibus et eorum cuilibet et ipsorum heredibus quandocumque eis necesse fuerit servire cum duobus armigeris equitibus in Foro Julii, Histria et Carsis eorum sumptibus et expensis: et predicta omnia et infrascripta intelligantur sine fraude et dolo. Si vero predictos de S. Daniele



vel eorum heredes contra predicta pacta facere contigerit, ex nunc prout ex tunc dicta pars castri de Varmo dicti feudi ad eosdem dominos Comites libere devolvatur. Ubi et in instanti prefatus d. Comes de dicta parte dicti castri Varmi iure predicto predictum Zanuttum quo supra nomine stipulantem manu propria legitime investivit, dictusque Zanuttus pro se et quo supra nomine, delato sibi debito iuramento prefato d. Comiti homagium fecit et prestitit et fidelitatis debitum sacramentum prout vassallus domino suo facere tenetur et debet et quemadmodum in similibus est fieri consuetum. Post que d. Comes eidem Zanutto dedit pro nuntio tenute . . . . de Castellerio qui ipsum quo supra nomine de dicta parte castri Varmi in tenutam et possessionem induceret corporalem.

Ego Nicolaus Puzinus de Glemona Goritie habitans imperiali auctoritate notarius predictis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

Da copia nel Vol. Apographa J. J. Liruti, Doc. 428. Bibl. civ. Udine.

## CCXXXV.

1356. 23 Ottobre. Udine.

Il patriarca vieta a Taddeo di Manzano di dar in garanzia al Conte di Gorizia alcuno de' propri beni esistenti nel patriarcato d'Aquileia.

A. D. MCCCLVI. ind. IX. die XXIII mensis Octobris. Presentibus discretis viris Nicolussio Varbiti, Leonardo Arconiano de Utino et Missio de Ramanzacco de Utino testibus et aliis.

Rev.<sup>mus</sup> in Cristo pater et dd. Nicolaus Dei gratia s. sedis Aquilegensis Patriarcha precepit nobili viro Tadeo de Manzano ibidem presenti sub obtentu gratie sue, quod de bonis existentibus in dominio Aquilegensis Ecclesie coram d. Comite Goritie nulli debeat aliquo modo respondere cum ad ipsum d. Patriarcham spectet de bonis ipsis et ipsorum quolibet cognoscere et petentibus iustitiam exhibere.

Actum Utini in palatio patriarchali.

Not. Gubertino da Novate. Bibl. civ. Udine. Orig.

## CCXXXVI.

1356. 26 Ottobre. Udine.

Convocazione di uno per fuoco dei soggetti alla Pieve di Cormons al Placito della Cristianità da convocarsi il 16 novembre p. v. in Cormons e multe ai renitenti.

Presbiter Iosep Capelanus in Ecclesia S. Marie Maioris de Venetiis venerabilis viri D. Fedrici Archidiaconi de Aquilegia, dilectis nobis Plebano seu Vichario et titullari Plebis de Cormons Aquilegensis Diocesis salutem in Domino. Cum Placitum Christianitatis iuxta consuetudinem actenus observatam ibi in Plebe predicta et inter supradictos dicte Plebis retinere die martis videlicet quintodecimo mensis novembris disposuerimus, idcircho vos requirimus et monemus vobis quod et quilibet vestrum nichilonimus districte sub excommunicationis pena precipiendo mandantes quatenus ex parte nostra cum populus in Ecclesiis vestris convenerit ad divina, omnes et singulos vestre Cure subiectos requirere et monere debeatis et quod nichilominus sub excommunicationis pena et viii frixacensium pro quolibet mandetis quatenus omnes predicti subditi vestri unus silicet pro fogo et maior domus dicta die ipso placito interesse debeant audituri quod ibi proponere et facere pro comuni animarum salute intendimus: pro nobis vero et comitiva nostra queque necessaria preparatis.

Data Utini die vigesima sexto mensis otubris, indicione nona (1356).\*)

Da Notaio ignoto, tra gli atti di Gabriele di Faedis.  
Arch. notar. Udine. Orig.

## CCXXXVII.

1356. 15 Novembre. Cormons.

Interdetto pubblicato nella Pieve di Cormons a que' che non intervennero al Placito della Cristianità.

A. D. MCCCLVI, die XV mensis novembris, actum in Ecclesia S. Adalberti de Cormons ante aram, presentibus presbitero Iacobo Capellano in Meda, Iohanne Nigro olim Enrici

---

\*) L'anno desumesi dagli atti seguenti scritti nello stesso foglio, rogati nel novembre 1356, ind. IX.

Nigris, Antonio Zizer, Pupo q. Griviveli, Iohanne q. Birtulisse, Laurencio q. Mestoni, Facio olim Birnussi et aliis.

Iosep vicearchidiaconus nomine et vice D. Fedrici Archidiaconi de Utino venit Dominus Iosep volens tenere Placitum Christianitatis ut moris est et non potuit tenere propter homines qui non intererant nec volebant interesse et petit D. Andream Vicharium ex suo sacramento ut ipse precipiat predictum Placitum et exinde predictus D. Andreas dixit ex suo sacramento quod ipse precepit et fecit per Tononum monachum prechonzari homines, domos et homines dñmi semel bis et infrascripte persone non interfuerunt et exinde precepit sub excomunicacionis pena quod Vicharii predicti in Ecclesiis predictae Plebis aliquod officium non celebrarent hinc quod omnes persone infrascripte ire concordet cum ipso D. Vicearchidiacono et usque quod non sint oportate extra Ecclesiam arche que in Ecclesia . . . . (sic).

Da Notaio ignoto, tra gli atti di Gabriele de Faedis q. Bortolotto.  
Arch. notar. Udine. Orig.

### CCXXXVIII.

*1357. 20 Gennaio. Castellutto.*

Zanutto di S. Daniele dichiara al procuratore di Castrone de Bardi che teneva allora il Castello di Belgrado, che il ponte presso la torre del castello di Varmo non fu fatto dai Signori di S. Daniele e che tutto ciò che sta oltre il detto ponte, appartiene ai Conti di Gorizia.

Anno nativitate domini millesimo trientesimo quinquagesimo septimo, indictione decima, die vigesimo mensis Ianuarii, presentibus nobiles viris dominis Schinella milite filio nobilis militis d. Gerardi de Cuchanea, Doringussio de Mels, Guigelmo filio d. Coradelle de sancto Daniele, Pertholdo de Atems, Simone purcraffio Goricie, Francisco condam d. Simonis de Castillerio, Archilotto condam d. Iohannis de Varmo, Iohanne condam Franciscutti de Varmo testibus et aliis pluribus. Comparuit providus vir Marcus notarius condam d. Antonii Turlonis de Veneciis nunc in Belgrado comorans, coram

illustri magnifico et potente domino d. Meynardo comite Goricie et Tirolis dicens et asserens ex parte nobilis viri d. Castroni de Bardis, quod quando placuit dare et consignare locum Belgradi in manibus predicti Castroni et ipsum cum omnibus iuribus dicto loco spectantibus consignastis, de quo excellentissime dominationi vestre notificat Castronus predictus quod illi de sancto Daniele sive illi qui tenent locum de Warmo habent et fecerunt pontem unum super Varmum prope turem castrum dicti loci de Warmo, quam illi de sancto Daniele iure feudi a vobis tenent, ut dicitur, per quem pontem transitur flumen predictum, qui est multum nocivus comugne et pascuis loci vestri de Belgrado, qui de iure ibidem esse et stare non debet, quod cum totum territorium quod est ultra aquam predictam de Varmo pertineat loco de Belgrado, ita quod vobis placeat Zanutto qui de sancto Daniele qui ibidem erat, dicere et comittere quatenus pontem predictum non teneant et quod molestiam aliquam in dicto territorio non inferant ultra aquam predictam.

Qui quidem Zanutus de sancto Daniele respondens dixit et confessus fuit, quod pontem predictum non fecerant nec edificaverant, sed quando intraverunt in tenutam et possessionem loci predicti de Varmo, pontem predictum edificatum invenerunt, confitens ibidem et in presentia dictorum testium, quod quidquid erat ultra aquam predictam de Varmo, habebant et cognoscebant a predicto d. comite et domo de Goricia et sicut illi de Varmo ab ipso d. comite hactenus habuerunt. Quibus quidem sic peractis rogatus fui ut de confessione predicta publicum conficere deberem instrumentum. Actum in Castellutto in domo communis loci predicti.

Et ego Stephanus condam d. Iohannis de Varmo imperiali auctoritate notarius publicus predictis omnibus interfui et rogatus hec publice scripsi.

## CCXXXIX.

1357. 28 Febbraio. Trieste.

Patti coi quali il nob. Febusino della Torre carcerato per aver tentato dare il castel suo di Castellutto ad estranei, ottiene il perdono e la libertà dal Conte di Gorizia.

In Christi nomine amen. Anno eiusdem millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, indictione decima, die ultimo Februarii, in civitate Trigesti (*sic*), in domo habitacionis Rigo hosterii que condam fuit Fidrici de Bolzano, presentibus discretis viris dominis Bartholomeo Gremoni vicedomino, Rizado Corvo, Natale a de Petro condam d. Francisci, Hectore de Canciano, Bonafe Grasso et Andrea Pacis notario testibus de Triesto et aliis pluribus fide dingnis (*sic*).

Nobilis vir d. Phibusinus de la Tur(r)e in sua propria libertate existens de certa scientia non per circumvencionem aliquam vel per errorem set sponte et motu proprio pro se suosque heredes contentus fuit, convenit et solempniter promisit discreto d. Antonio de Rabata Goricie commoranti vice et nomine magnifici et potentis domini d. Meynhardi incliti comitis Goricie et Tirolis recipientis conventiones et pacta nominanda et declaranda attendere complere et firmiter observare (predicto d.) Antonio de Rabata pro eodem d. comite et suis heredibus stipulanti et hoc ideo, quot cum predictus d. comes ipsum d. Phibusinum in sua captivitate actenus habuerit et detinuerit occasione culpe qua difamatus fuerat erga ipsum videlicet quod castrum Casteluti ad manus extraneas tradere voluisset, quod castrum et locum Casteluti dictus d. Phibusinus expresse confitebatur et confessus est fuisse et esse feudi (*sic*) dicti d. comitis, quam culpam ipse d. comes, ut dicebatur, pepercit et remisit eidem d. Phibusino bonis infrascriptis resignatis (*sic*) in manibus et potestate dicti d. comitis remanentibus, ipsum d. Phibusinum liberum relaxavit et ei suam donavit gratiam, ut similiter dicebatur. Quo circa ipse idem d. Phibusinus per se et heredes suos contentus fuit, convenit et solempniter promisit, ut prædicatur, predicto Antonio de

Rabata vice et nomine ipsius d. comitis et suorum heredum recipienti et stipulanti eadem pacta firmiter observare.

Primo quidem resingnavit et dedit dictus d. Phibusinus per se et heredes suos predicto Antonio de Rabata vice et nomine dicti d. comitis et suorum heredum recipienti et stipulanti libere totam et omnem partem suam quam habuit in castro Casteluti et in burgo seu terra ibidem tempore quo dictus d. Phibusinus extitit captivatus cum omnibus et singulis pertinentiis eorum predictis castro et burgo seu terre (*sic*) quocumque modo spectantibus et pertinentibus. Item resingnavit et dedit libere pro se et heredes suos prefato Antonio de Rabata quo supra nomine stipulanti omnia et singula bona, mansos, decimas, redditus et proventus quoscumque que habebat vel habere poterat tunc temporis dicte captivitatis quocumque nomine censeantur in patria Forojulii tam propria quam feudalia, que a quocumque dominio habuisset et cuiuscumque condicionis existant. Et super hoc promisit procurare pro posse suo et sibi dare operam efficacem quod predictus d. comes vel alter cui commiserit investigatur de bonis feudalibus supradictis que feudalia fuerint a dominis quibus ipsa feudalia bona habere videbitur. Item promisit per se et heredes suos predicto Antonio ut supra stipulanti, quod occasione dicte captivitatis numquam aliqua tractabit vel faciet nec eciam tractari faciet per se vel per alios aliqua, que in ipsius d. comitis et suorum heredum ac afinium vel servitorum et fidelium suorum vertantur vel verti possint dampnum vel detrimentum, obprobrium vel gravamen. Insuper promisit idem d. Phibusinus a die hodierna usque ad sex septimanas proxime et immediate futuras tunc statim exire patriam Forojulii et in posterum in dictam patriam non intrare absque ipsius d. comitis expresso consensu, licencia vel mandato. Que quidem omnia et singula supradicta predictus d. Phibusinus iuravit corporaliter ad sancta dei evangelia tactis scripturis sibi dato sacramento predicta omnia et singula et infra scripta attendere et plenius observare et non contra facere dicere vel venire racione aliqua vel occasione, de iure vel de facto, dolo, ingenio sive fraude sub pena persone sue et bonorum suorum omnium obligacione presentium et futurorum, pacto expresse addito quod si predictus

idem d. Phibusinus contra veniret, dictus d. comes vel alter cui commiserit, ubique locorum et terrarum et coram quocumque dominio ipsum valeat realiter et personaliter convenire ac si eum sub suo dominio conveniret, super quibus omnibus supradictis predictus d. Phibusinus dedit suam bonam voluntatem pariter et consensum. Preterea voluit et contentus fuit, quod si reperiatur ipsum d. comitem aut d. comitem Henricum fratrem suum fore eidem d. Phibusino in debitis aliquibus obligatos, ex nunc prout ex tunc esse debere penitus ipsa debita sive credita cassa et vana de cetero et nullius valoris. Item promisit suo sacramento, quod quandocumque et ubicumque extra dominium dicti d. comitis per ipsum d. comitem vel per alium aut alios quibus commiserit, fuerit requisitus, quod facta requisicione infra octo dies pacta superius contenta per instrumentum publicum renovabit et faciet renovari et scribi.

Et ego Conradus filius condam magistri Conradi Marschalchi de Ratispona Civitate Austrie commorans imperiali auctoritate notarius publicus constitutus hiis omnibus interfui et rogatus scripsi.

Perg. orig. Arch. di Stato. Vienna. Rep. I.

CCXL.

1357. 24 Novembre. Gorizia.

Mainardo conte di Gorizia investe Piromat di Belgrado di beni feudali in Vermedello, S. Martino, Goriz, Blauzzo, la Rosa, Rivis, Sclaunico e Belgrado.

Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo, vigesimo quarto die mensis Novembris, presentibus domino Perchtoldo de Emberberch, domino Friderico purgrafio de Luenz, domino Marchwardo de Novo Castro militibus, Rolando castaldione de Goricia, Hainrico scriba domini Comitis et me Notario infrascripto.

Piromat de Belgrado in presentia magnifici et potentis domini Comitis Mainhardi Goricie et Tirolis constitutus de sua

bona voluntate et motu proprio non rogatus non coactus sed bona deliberatione habita et animo premeditato dedit tradidit et assignavit pro se et omnibus suis heredibus aut successoribus predicto magnifico domino comiti Mainhardo et fratri suo comiti Hainrico et ipsorum heredibus omnia suo bona infrascripta, que se iure proprii possidere dicebat resignans eodem dicto domino comiti Mainhardo recipienti pro se et fratri suo predicto et heredibus ipsorum cum omnibus iuribus et pertinenciis suis quesitis et non quesitis, cultis et incultis quocumque nomine conseantur libere et absolute in manus suas renuntians per se suosque heredes omni iure aut proprietate, quod vel quam in hiis habere potuit aut videbatur quocumque modo promittens per se suosque heredes hanc resignacionem ratam et firmam tenere nec contravenire in aliqua parte de iure vel de facto quovismodo sub pena dupli eius de quo questio ageretur, stipulatione solempni premissa cum refectione dampnorum et expensarum ac interesse litis et extra, sub obligatione omnium suorum bonorum presencium et futurorum, qua pena soluta vel non omnia tamen in hoc instrumento contenta obtineant plenum robur. Bona vero sunt hec: in Varmadel mansus unus desolatus; item in Sancto Martino mansus unus, quem regit Kukusin; item in Gurisch mansus unus, quem Pieri Stricea regit; item in Plaguts mansi duo, quos Georg de Potsch et Mimsin de Gradisk regunt; item mansus unus in Larosa, quem Mini de Larosa regit; item in Rivis mansus unus, quem Pieri Filipp regit, super quem dictus comes habet advocaciam antiquam; item in Sclavnik mansi duo, quos Paul et Selapan regunt; qui eciam ab antiquo feuda sunt a dicto comite; item ibidem mansus unus quem Siwan Polas et Gaspar regunt; item in Belgrado campi undecim et quoddam nemus cum palude seu prato, quod prefatus Piromat dicit se emisse a Iacobo de Flaspergo cum voluntate et consensu predicti domini comitis; item unum sedimen in Belgrado cuius hereditas dicto Piromat pertinet de quo pater suus infeodatus exstitit a dominio goricie(nsi). Quorum omnium resignacione facta, ut prescriptum est, in manus dicti domini comitis, idem Piromat supplicavit predicto domino comiti quatenus ipse dingnaretur sibi et suis heredibus prefata bona cum suis pertinenciis in



feudum conferre. Itaque dominus comes suis precibus inclinatus prefata bona cum omnibus suis iuribus et pertinentiis in rectum et legale feudum pro se et fratre suo comiti Hainrico et ipsorum heredibus contulit dicto Piromat recipienti pro se et suis heredibus ad habendum tenendum possidendum dandum alienandum salvo iure feudi prestito sibi sacramento omagii fidelitatis ut moris est; talibus tamen pactis additis quod dictus Piromat et sui heredes dicto domino comiti et suis heredibus dare et solvere teneantur annuatim in singulum prefate infeodacionis unum starium avene; remanentibus tamen censu et usufructibus dictorum bonorum in sua solita consuetudine et quantitate. Insuper si reperiretur quod dictus dominus comes aliquod ius habuisset in predictis bonis quaecumque de eodem suo iure ipse et sui heredes gaudere ac frui debent plenimodo omnino obstante presenti infeodacione facta vel mutacione dictorum bonorum de proprio in feudum, salvis etiam iuribus quarumlibet personarum, si qua possent in posterum reperiri.

Actum et datum Goricie ut supra.

Ego Hainricus de Ortenburch Romani imperii notarius publicus et iudex ordinarius hiis interfui et rogatus scripsi.

Perg. dell' Arch. di Stato in Vienna. Repert. XXIV.

## CCXLI.

1358. 22 Marzo. *Soffumbergo.*

Il patriarca d'Aquileia conferma Mainardo Conte di Gorizia a Podestà di Muggia. ]

Nos Nicolaus Dei gratia sancte sedit Aquilegensis Patriarcha notum fore volumus universis, quod dilecti fideles nostri Indices, Consilium et Commune Terre Mugle per eorum ambaxiatores cum litteris credentie ad nos transmisisis, fecerunt nobis humiliter supplicari quod eis Potestatem et Rectorem eligendi in dicta Terra pro dimidio anno incohando a die qua infrascriptus Potestas regimen iurabit huiusmodi licentiam concedere dignaremur. Nos vero ipsorum fidelium nostrorum supplicationibus inclinati, dictam licentiam eisdem ambaxiatoribus

gratiose duximus concedendam. Quo peracto iidem ambaxiatores deliberatione habita diligenti Magnificum et potentem virum d. Maynardum Goritie et Tyrolis Comitem fratrem et amicum nostrum charissimum pro dicto dimidio anno in Potestatem et Rectorem predictæ Terre nostre Mugle iuxta morem solitum elegerunt. Quocirca ipsius d. Comitis strenuitatem et oculatam prudentiam ac sinceram benevolentiam attendentes atque sperantes quod ex eius salubri regimine dicta Terra nostra Mugle prosperis et felicibus, dante Domino, ampliabitur incrementis, electionem huiusmodi ratam et gratam habemus ipsumque d. Comitem in Potestatem Terre nostre prefate Mugle pro dicto dimidio anno, salvo iure nostro et Aquilegensis Ecclesie, tenore presentium confirmamus. In cuius rei testimonium has litteras fieri fecimus et nostri sigilli impressione munitas.

Datum in Castro nostro Sorphemberch die XXII mensis Martii. Anno dominice nativitatis MCCCLVIII. Indictione XI.

Not. Gubertino da Novate. Bibl. civ. Udine. Orig.

(Ristampato perchè edito nel Cod. Dipl. Istriano con omissioni.)

## CCXLII.

*1358. 9 Settembre. Codroipo.*

Il Parlamento della Patria del Friuli riconosce il Conte di Gorizia quale  
Avvocato della Chiesa d'Aquileia, sede vacante.

Anno Domini MCCCLVIII, indictione XI, die dominico, die nono mensis Septembris. In curtina Quadruvii in Ecclesia s. Marie dicti loci. Congregato Colloquio in dicto loco per dominum Comitem Maynardum Goricie tamquam Advocatum Aquilegensis Ecclesie et ibidem existentibus venerabili viro d. Raymundo abbate Rosacensi, d. Tristano de Savorgnano cum aliis pro Commune Utini, d. Henrico de Strassoldo, d. Simone de Valvasono, d. Simone de Chucanea, d. Nicolao de Porcileis, d. Rizzardo de Trichano, d. Andrea de Pulzinico pro se ac patre suo nunciis d. Episcopi Concordiensis ac pro d. Gerardo eius fratre, d. Galazio de Chavoryacho, d. Cono et

Facina fratribus hiis de Pertistayno, d. Nicolao de Strassoldo, dominis Francisco et Mehinardo hiis de Villalta, dominis Pertholdo et Tadeo de Manzano, d. Biachino de Soffumbergo, d. Asquino de Varmo, d. Nicolussio de Prampergo, d. Peglo de Murucio, d. Guigelmo de s. Daniele, dominis Henrico et Bernardutio de Coloredo, Artusino cum Raynaldo pro Commune Civitatis Austriae, domino presbitero Iohanne cum Armanutio pro Commune s. Viti, Iohanne Guigelmo pro Commune Aquilegie, . . . . ambasciatores de Glemona (*sic*) . . . . d. Nicolussio de Mels, nunciis dominorum de Spegnimbergo, nunciis pro d. Nicolao de la Fratina<sup>1)</sup>.

Prefatus d. Comes proponi fecit sic dicens, quod ipse tamquam Advocatus Aquilegensis Ecclesie requirebat prefatos tam Prelatos quam Francos ac etiam Diesmanos et Comunitates Patrie Forijulii, quatenus eidem propter mortem quondam bone memorie d. Nicolai Patriarche Aquilegensis, vacante patriarchatu, vellent et debeant iurare et obedire tamquam Advocato Aquilegensis Ecclesie et Capitaneo dicte Ecclesie cum omnibus que sunt honoris et status dicte Aquilegensis Ecclesie et totius Patrie Forijulii. Super quibus prefati existentes in dicto Colloquio, habito consilio inter se, responderunt et iuraverunt secundum requisitionem factam per prefatum d. Comitem antedictum, videlicet infrascripti domini Raymundus abbas Rosacensis, d. Henricus de Strassoldo, d. Nicolaus de Porcileis, d. Franciscus de Villalta, d. Andreas filius d. Fantussii de Pulzinico pro se ac pro patre suo ac pro d. Gerardo fratre suo, d. Asquino de Varmo, d. Dietalmo de Varmo inferiori. Reliqui vero dixerunt se super hiis consilium et deliberationem habere velle cum iis qui ipsos miserant, et habito consilio respondere; quidam dicentes, quod informati non erant de iis qui miserant ipsos; quidam habebant Consortes et sine eorum velle et consilio respondere non posse; quidam vero, quod unionem quamdam, moriente dicto d. Patriarcha, fecerunt et ad invicem iuraverunt et sine scitu et consilio predictorum unionis; (*sic*) nec non

---

<sup>1)</sup> Altri nomi di persone intervenute a questo Parlamento, si trovano aggiunti alla fine del processo verbale contenuto nel presente atto.

quod ceteri iuraverunt isti Vicedomino qui factus erat, similia iurare non possent. Quibus responsionibus factis, eis per prefatum d. Comitem assignatus fuit terminus respondendi hinc ad diem Jovis nunc proxime futurum in dicto lo Quadruvii.

Die autem Jovis predicto, scilicet XIII mensis Septembris, dum prefati subditi Aquilegensis Ecclesie quibus assignatus fuerat terminus respondendi congregati fuissent in burgo Cortine Quadruvii scilicet in curtivo . . . . de dicto loco, eidem d. Comiti talem responsionem fecerunt, dicentes quod, d. Vicedominus Aquilegensis Ecclesie et eius Consilium et Nobiles de Forojulii et Communitates omnes cum omni reverentia se recommendabant dicentes quod non necesse erat quod eidem iurarent, quam dicto d. Vicedomino iuraverant in honorem et statum Aquilegensis Ecclesie et supplicabant eidem d. Comiti ut dictam Aquilegensis Ecclesiam recommendatam habere dignaretur ac omnes alios Nobiles et Patriam Forijulii. Quibus d. Comes eisdem iterato requisivit ut eidem iurare et obedire deberent tamquam Advocato Aquilegensis Ecclesie, secundum quod cum predecessoribus suis facere consueverunt. Et super hiis predicti, habito consilio, unanimiter fide manuali prestita, nomine sacramenti promiserunt obedire eidem d. Comiti tamquam Advocato Aquilegensis Ecclesie ipsumque conservare in omnibus iuribus que predecessores sui predecessoribus eiusdem d. Comitis facere consueverunt usque ad adventum d. Patriarche futuri, salvis tamen omnibus iuribus aliis et Advocatie predictae: et e converso d. Comes predictos promisit manutenere et adjuvare in omnibus eorum iuribus que predecessores sui predictis facere consueverunt.

D. Tristanus pro Commune Utini, d. Valterpertholdus de Spegnimbergo, d. Simon de Chucanea, d. Polius de Marucio, domini Pertholdus et Tadeus de Manzano.

D. Galazius de Chavoryacho, d. Nicolaus de Strasoldo, d. Biachinus de Soffimbergo, dominus presbiter . . . . . de s. Daniele, d. Manfredus de Villalta, d. Bernarducius de Coloredo.

Antonius et Raynaldus pro Commune Civitatis Austrie, dominus presbiter Iohannes pro Commune s. Viti.

Leonardus notarius pro Commune Glemone, Iohannes Guillelmi pro Commune Aquilegie, Nicolaus de Mels, Federicus pro Commune Faganee.

Stephanus not. de Castilutto scripsit.

Da copia nella Collezione Bianchi, Bibl. civ. Udine, tratta dall'originale già esistente nell'Archivio demaniale di Udine.

CCXLIII.

1358. 15 Settembre. Prata.

I conti di Prata promettono obbedienza a Mainardo conte di Gorizia Avvocato della Chiesa d'Aquileja, sede vacante.

Debita recomendacione premissa tenore presencium sic et in quantum tenemur aquilegensis ecclesie iuramus sub vobis et dominacioni vestre tamquam sub domino et advocato tamquam sub domino et advocato aquilegensis ecclesie predictae vacante sede atque promittimus una vobiscum esse ad adiuvandum vos protegere defendere et manutenere in iuribus dicte vestre advocacionis prout actenus predecessores nostri predecessoribus vestris facere consueverunt in honorem et statum aquilegensis ecclesie predictae et patrie forogullii (*sic*) et hoc usque ad adventum futuri patriarche solum. Insuper ad maiorem firmitatem mandavimus Nicolao Gardilino burgensi nostro in Prata quatenus sub forma antedicta nostro nomine iuret et promittet in manibus dominacionis vestre et supra animas nostras quod attendemus et observabimus promissionem antedictam vobis factam et quod a dominacione vestra recipiat litteras vestras promissionis quod tamquam advocatus predictus aquilegensis ecclesiam et nos conservabit et deffendet contra quoscunque ledere nos volentes indebite. In cui rei testimonium presentes fieri iussimus et ad maiorem cautellam sigillis nostrum Quecelli, Nicolusii et Ricardi affinium de Prata fecimus sigillari.

Datum Prate die XV Septembris, XI indicionis, millesimi tricentesimi quinquagesimi octavi anni.

Gueçellettus Artichus	} affines et servitores vestri de Prata.
Gueçellus Nicolusius	
Gerardus et Ricardus	

Orig. cartaceo con tre sigilli de' signori Conti di Prata.

Arch. di Stato in Vienna. Repert. XXIV.

## CCXLIV.

1359. 13 Febbraio. Cormons.

Mainardo conte di Gorizia è riconosciuto capitano generale del Friuli dalle comunità di Udine e di Cividale.

Anno domini MCCCLI, indictione XII, die XIII mensis Februarii, actum in cortina de Cormono in ecclesia sancti Iohannis, presentibus venerabilibus in Christo patribus domino abbati monasterii Rosacensis, d. Gwidone abbati monasterii Mosacensis, strenuis millitibus dominis Perchtoldo Truchsacz de Emerbach, domino Friderico purchgravio de Lünchz, domino Egolfo de Wipacho, domino Fridrico Deuplacher, nobilibus et honestis viris dominis Hainrico de Strasoldo, Odorico eius filio, domino Rudolfo de Duyno, Stephano q. Virgilio de Civitate Austria, Nicolusso de dicto loco, Paulino scriptore, Galidesio et Leonhardo q. Andreotti hiis de Utino testibus et aliis.

Accedentes Artrosinus de Civitate una cum Galidesio predicto pro communitatibus Civitatis et Utini et Niculussius de Attems pro parte nobilis viri v. Federici Boiani tunc vicedomini ac pro parte nobilium Forijulii ad hoc specialiter deputati ad presenciam magnifici et potentis domini d. Meinhardi comitis Goricie ac Tyrolis Aquilegensis ecclesie advocati exposuerunt dicentes videlicet Artrosinus predictus ex parte omnium predictorum quod dominus vicedominus predictus ac eius consilium per predictos nobiles ac communitates Forojulii eodem domino vicedomino datum eosdem ad predictum dominum comitem transmiserant volentes prefatum dominum comitem Goricie in eorum capitaneum generalem et advocatum dicte Aquilegensis ecclesie sicut iure ipsum habere tenebantur et debebant usque ad adventum futuri patriarche vel eius vicarii. Quiquidem iurare et obedire volebant predicto domino comiti Goricie cum hoc quod predictus dominus comes predictos subiectos Aquilegensis ecclesie defendere teneatur et debeat usque ad adventum futuri patriarche, dicentes predicti nuncii quod nullum

alium dominum habere intendebant maiorem ipso domino comite. Qui quidem nuncii proferebant eidem domino comiti dare libras mille parvulorum pro quolibet mense, videlicet ad presens libras mille et de residuo vero a tempore citra quod dominus patriarcha decessit securitatem bonam facere per subditos dicte Aquilegensis ecclesie et si casus accideret quod necesse esset habere gentes aliquas pro defensione patrie Forijulii, quod tunc dominus comes eosdem recuperare debebat ad expensam Aquilegensis ecclesie.

Stephanus notarius de Castilutto scripsit.

Da copia nel cod. 447 fol. 24. Arch. di Stato, Vienna.

## CCXLVI.

1359. 26 Aprile. Aquileja.

Il Vicedomino del patriarcato Odorico di Strassoldo invita al Parlamento il Comune di Cividale essendo per spirare le tregue tra la Chiesa d'Aquileja ed i Duchi d'Austria e Conti di Gorizia.

Capitano et Comuni Civitatis Austrie (*tergo*).

Odoricus q. D. Osalchi de Strasold Aquilegensis Ecclesie  
Sede vacante Vicedominus.

Carissimi. Quia treuge inter Dominos Ducem Austrie et Comites Goritie ac ipsorum servitores et sequaces ex una parte et dictam Ecclesiam eiusque fideles ex altera sunt in proximo spirature et etiam multa incumbunt statum ipsius ecclesie et totius patrie tangentia ut supra hiis provideatur, ordinamus in festo sancte Crucis die tercia proximi mensis Maij in Utino generale colloquium celebrari. Quo circa vos sub fidelitatis debito quo dicte ecclesie astricti estis requirimus et monemus quatenus provisuri supra predictis omni excusatione et causa remotis eidem colloquio interesse curetis. Datum Aquilegie die XXVI. mensis Aprilis. Indict. XII.

Orig. cart. con piccolo sigillo. Busta II. 59. Arch. Munic. di Cividale.

## CCXLVII.

1359. 3 Giugno. Cividale.

Il Vicedomino del patriarcato d'Aquileja proroga la tregua col Conte Mainardo di Gorizia fino alla denuncia da farsi dal Patriarca del loro termine.

Nos Odoricus condam D. Ossalchi de Strasoldo aquilegensis ecclesie vicedominus notum fore volumus universis, quod treugas habitas inter magnificum et potentem dominum dominum Meinhardum Goricie et Tirolis comitem eiusque amicos, fideles, coadiutores, servitores et subditos et inter venerabilem virum dominum Manzolum decanum aquilegensis ecclesie et ipsius ecclesie fideles, amicos, coadiutores, servitores et subditos usque ad quindecim dies post festum sancti Georgii proxime transactum et postmodum prorogatas usque ad festum pentecostes proxime nunc venturum tenore presentium cum dictis domino comite eiusque amicis, fidelibus, coadiutoribus, servitoribus et subditis sub eisdem statu, pactis et forma prorogavimus et facimus pro nobis, aquilegensi ecclesia et omnibus ipsius ecclesie fidelibus, amicis, coadiutoribus, servitoribus et subditis antedictis quousque dominus noster patriarcha seu . . . eius vicarius aut nos intimabimus dicto domino comiti vel inclite domine Catherine eius uxori aut eius capitaneo in Goricia quod secum nolimus habere ulterius treugas et octo diebus post diem intimacionis huiusmodi proxime subsequentibus firmiter duraturas. Quas quidem treugas promittimus pro nobis et dicta ecclesia eiusque fidelibus, amicis, coadiutoribus et subditis supradictis modo predicto inviolabiliter observare et contra eas per nos vel alios nullatenus facere vel venire. In cuius rei testimonium presentes fieri iussimus nostri sigilli impressione munitas.

Datum Civitate Austrie die tertio mensis Iunii, anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, indictione duodecima.

Dall'orig. in carta con sigillo in cera verde.

Arch. di Stato in Vienna. Repert. XXIV.



## CCXLVIII.

*1360. 6 Giugno. Latisana.*

Il Comune di Latisana dichiara che rilascerà la Terra ai Conti di Gorizia quando questi l'avranno recuperata dai Signori di Colloredo ai quali l'avevano venduta con patto di ricupera.

Nos Zilius Gastaldio, Iudices, Consilium et Comune Portuslatisane, notum facimus universis et singulis presentem literam inspecturis, quod cum per Magnificos et Potentes dominos nostros dominos Meynardum et Henricum Comites Goritie et Tyrolis, Ecclesiarum Aquilegensis, Tridentine ac Brixinensis Advocatos, venditio facta fuerit de terra Portuslatisana cum iuribus eorum que habent et possident ad presens, pro certo pretio, prout in literis eorundem dominorum Comitum evidentius continetur, Nobilibus viris dominis Francisco, Henrico et Clizoio fratribus de Coloreto et dicti fratres per suas literas promiserint restituere predictam terram cum suis iuribus eisdem dominis Comitibus quancumque et quo tempore ipsi darent et solverent predictis dominis de Coloreto pecuniam pro qua dicta terra eis extitit obligata, prout in literis ipsorum dominorum similiter continetur. Nos ut supra contenti sumus et promittimus ex certa scientia et deliberatione habita diligenti, quod quancumque et quo tempore predicti domini Comites vel ipsorum alter aut eorum heredes dabunt et solvent predictis dominis de Coloreto pecuniam pro qua ut predicatur dicta terra extitit obligata in Venetiis, vel in Civitate Austrie vel in Spignimbergo aut in Castro Coloreti, quod Nos cum dictis dominis de Coloreto nostro posse et omni dolo ac fraude remotis, dabimus et restituemus dictam terram dominis Comitibus supradictis, libere et expedite dilatione qualibet pretermissa, quod si facere neglexerimus dolo et fraude ut superius est expressum remotis, promittimus omne dampnum et expensas per nos et successores nostros reficere dictis dominis nostris, in quod vel quas incurrerent vel substinuerent predictae retentionis occasione, cum obligatione omnium nostrorum bonorum presentium et futurorum. In cuius rei testimonium presentem

literam fieri iussimus et sigilli nostri Communis Portuslatisane munimine roborari. Datum in Portulatisana, anno domini millesimo tricentesimo sexagesimo, Indictione tertia decima, die autem sexto mensis Iunii.

Dall' orig. Arch. di Stato in Vienna. Repert. I.

CCXLVIII.

*1360. 9 Giugno. Cividale.*

Il Comune accorda per dieci giorni salvacondotto a Meinardo conte di Gorizia venendo a stare con seguito in Cividale.

Noverint universi presentes litteras inspectari, quod nos Rainerius de Senis gastaldio, . . . . provisos, consilium et commune Civitatis Austrie per nos nostrosque amicos, cives et habitatores magnificum et potentem dominum dominum Meinardum illustrem Goricie et Tirolis comitem cum eius comitiva veniendo ad civitatem predictam stando et reddeundo per dies decem proximos in bonis pariter et personis affidamus libere et assecuramus dolo tamen et fraude remotis. In cuius rei testimonium presentes fieri iussimus et sigilli nostri communis munimine roborari.

Datum in Civitate Austrie die nono mensis Iulii sub millesimo trecentesimo sexagesimo. Indictione terciadecima.

Dall' orig. cartaceo con sigillo in cera verde.

Arch. di Stato in Vienna. Repert. XXIV.

*(Continua.)*

---